ANTONII KERKOETII AREMORICI

MASTIGOPHORVS TERTIVS, SIVE

ELENCHI

CONFVTATIONIS,

quam Claudius Salmaſius ſub Franciſci Franci I. C. nomine Animaduerſis Kerkoëtianis oppoſuit,

PARS TERTIA.

PARISIIS,

M. DC. XXIII.

ANTONIVS
KERKOETIVS
AREMORICVS
CLAVDIO SALMASIO.

NE malè collocatam à te, Salmasi, gratiam putes, quòd vnum nomini meo librum inscripseris, tertius iam ecce tibi à me rependitur; & plures si per, otium licuerit, ac si id tibi gratum est, hoc anno, & altero, & deinceps, vti pollicitus sum, sequentur. Interim quod ex Confutatione tua reliquum erat, in postremum hunc Mastigophorum coniecimus: qui quod aliis duplo crassior est, vbertate materiae scito esse factum. Nam cùm insigniora stuporis, & inscitiae tuae capita breui persequi, & complecti statuissem, tot illa reliquis in foliis, ac tam inusitata sese nobis obtulerunt; vix vt enumerandis illis, ac notandis haud mediocre volumen satis esse potuerit. Hoc ne solito illo insectandi more, iracundè dictum existimes, tete ipsum, cùm legeris, arbitrum non recu-

so. De tuis quidem amicis, quos tibi in posterum cauendos, ac suspectos habendos censeo, noli quenquam putare ita tui similem, vt non illa ipsa, quæ latere profecto neminem possunt, aut per sese iam viderit, aut à me patefacta, & publicata cognorit. Itaque quod tibi palam homini minimè malo blandiuntur, & in longas aures tuas nescio quæ adulatoria, & παρηγορικὰ demittunt; magis id consolandi tui gratia, vel illudendi etiam, μὰ τὸν φίλιον, caussa faciunt, quàm vt leue istud infortunium tuum, errata verò tolerabilia & condonanda iudicent. Scio quanti de te risus in doctorum virorum circulis & colloquiis; quanta tuæ stoliditatis admiratio; quam crebri de tot, ac tam enormibus peccatis tuis Vrbe tota sermones extiterint, posteaquam priores duo Mastigophori nostri prodierunt. Quid igitur fore deinceps existimas, cùm hic ipse, qui nunc exit in lucem, haud paulò grauiora, & atrociora, quàm erant illa, detegere, & in tergum tuum vindicare paratus accedat? Ad ea recognoscenda priusquam te, Salmasi, lectoresque cæteros dimitto, paululum morabor in iis, quæ sub nescio cuius Francisci Franci, fænei hominis larua contra me in Præfatione conquestus es. Cui tu persona

quare partes tuas imposueris, nulla nobis alia caussa succurrit, nisi quod in propria & asinina pelle strenuè dolatus, ac depexus, sub aliena latere, ac tergo tuo consulere decreuisti. Igitur mirari se Francus iste, hoc est Salmasius, neque caussam satis extricare dicit; cur in Salmasium vt scriberem adduci potuerim. Ibi nescio quæ contra Petauiũ pueriliter daclamat, ac stolide, nec alia tamen præter ea, quæ Salmasio ipsi dicere placuit; cũ vna eademque sit, vti dixi, bestia, quæ aliàs Claudius Salmasius, illîc Franciscus Francus audire maluerit. Non erat profectò, Salmasi, cur adeo Francisci illius Franci voce mirarere; tantum audaciæ in Aremorico Kerkoëtio fuisse, vt vni è Grammaticorum familia imperitissimo, è Caussidicorum grege loquacissimo silentium indiceret. An cùm tantum ineptiarum hoc in vno capite cum tam inaudita superbia, insolentiaque collectum viderem, homo ingenuus, ac μισοπόνηρος, & muci illius ac grauedinus impatiẽs manum abstinerem? Fateor, mi Salmasi, nondum eô me patientiæ venisse, vt in extrema tua inscitia, planeque prodigiosa, infinitam illam arrogantiam aut æquo animo ferre, aut tacito ore dissimulare possem. Nam de inscitia, tametsi tot nostræ disputationes fidem

fecerint, paucis hîc, ac velut compendio cognosce. Duo sunt ex omnibus literarum partibus eruditionis genera, quibus cùm à puero te, Salmasi, iam olim exercueris, haberi te summum hodie cupis, dignumque, cui Gallicani Præsules, vel fiscus regius annui stipendij aliquid aspergat: Alterum Græcorum, ac Latinorum nominum verborumque proprietas & origo: in quibus enucleandis bonam ætatis partem contriuisti: alterum, antiquitatis ritus; veluti quo corporis vestitu, & calceatu Romani Græcique sint vsi; quæ ciborum apud illos genera; res item vasaria, numaria, & si quæ sunt eius generis alia. Præter hæc nihil admodum scire te, non solùm intelligunt omnes, sed ne tu ipse quidem inficiaris. Nam Mathematicas artes, velut Arithmeticam, Geometriam, ac cæteras; itemque Dialecticam, Physicam, Medicam; tum verò Theologicam; atque omnem omnino præstantiorem scientiam funditus ignoras. Quod cur adeo miremur, eiusmodi te artium rudem esse, quas neque tuus te pater vnquam docuit, neque aliunde didicisti; cùm ex illa ipsa, quàm profiteris, forensi doctrina nihil præter titulum habeas, nomenque Causidici? Ego te nisi ex scriptis tuis non noui: sed qui melius norunt, aiunt præsuper-

bia neque respondisse te de iure cuiquam mortalium, neque caussas admodũ vnquam egisse. Quare qui in tua ipsa professione tam sis imperitus, frustra alienarum à te doctrinarum vsum, ac facultatem requiremus. Eo fit, vt tua denique omnis industria, ac quicquid est, cuius gratia publicè te à nobis ali curariq; postulas, genere illo, quod dixi, definiatur; Græcorum ac Latinorum nominum; tum quod cæteris accuratius te scire profiteare quid Romani comedere, bibere, vestire, aut calceare soliti; quæ fuerit apud eosdem textrinæ ratio; quæ numorum genera: de quibus scripturum te minaris identidem, & ingentia nobis volumina polliceris. Harum si rerum tantum in te esse, quantum nobis ostentas, vsum ac sciẽtiam concessero, nihil esse profecto vides, cur te vel tanquam doctum hominem admiremur, vel in regiis stabulis, velut otioso, & emerito iumento, pabulum tibi de publico præbeatur. Nam illa sanè, quæ te callere dicis, vti cùm cæterarum artium ornamentis haud aspernanda sunt, ita si sola suppetant, leuia, arida, exiliaque sunt, neque cur vnctiorem te nostro sumptu oporteat esse, satis honestam caussam continent. Atqui non solùm istiusmodi rerum haud perinde ac videri vis consultum te esse; sed etiam nihil supra vulgus

ſapere, imo infra vulgi captum, communemque ſenſum hebetem ac rudem eſſe te, tot iam libris conuicimus, & qui modo prodit in lucem, tertius iſte Maſtigophorus oſtendet. Vt enim pauca quædam velut in ſpecimen offeram, quo te loco Grammaticum habeamus, qui hunc nobis Canonem condideris; à neutris nominibus Græce ὑποκοριστικὰ non formari? quod tu Confut. pag. 103 docuiſti, quaſi non, vt alia mittam, quæ ſuo loco perſtrinximus, à πρόβατον, diminutiuum προβάτιον formetur. Qui inſuper Talenti nomen negaueris vnum aliquando ſignificare numũ; qui mortuum ire, pro mori dixeris; ponere veſtem, pro induere: qui χλαινίζειν idem eſſe ſcripſeris, atque erudire, qui λαμπυρίδα, hoc eſt ſcarabeum, aut vulpem, putes eſſe lampetram piſcem, qui πῖνον, hoc eſt ſordes, nitorem, & munditiam interpreteris: qui antiſtitem de Epiſcopo vſurpari prohibeas: qui deglubere credas eſſe, floccos è vellere trahere: qui verſuram ſimplex eſſe mutuum contra Grammaticam cenſeas? Age altera in illa eiuſdem doctrinæ parte, vide vtrum bellus ſis, qui tam craſsè, ac turpiter offenderis: An tu mediocrem illum Grammatici, vel tolerabilem ſtuporem exiſtimas, nondum ſcire, quid inter numorum pretium, ac pondus interſit?

putare

putare denarium ac drachmam pondus habuisse assium sexaginta quatuor, quorum singuli unciæ sextam decimam pendant uncias quatuor uniuersi? Quid cuius ratiocinia eô demum perducta sint, vt minuta illa duo mendicæ Viduæ; cuius Euangelia meminerunt, besse Romanæ libræ, hoc est Marcis argenti duabus, æstimentur? Ecce alterum illud infame portentum; Senatores Romanos ante Augustum, bellaque ciuilia, crepidatos; ab hoc tempore, caligatos fuisse, idque ex eo probari, quod milites per iocum, & ludibriũ caligatum concilium vocati sint. Accedant modò, quæ de chlamyde, deque rotundis, & quadratis vestibus, tam contra iudicium omne, quàm sine vllo pudore disputasti. Quid hoc homine præterea facias, qui aurum viride, heliotropion Dioscoridis, cærulei coloris esse pertendat? qui Iudæorum, qui Christi Domini, & Apostolorum pallia promiscua cũ Cynicis faciat, neque à vulgaribus reliquis Philosophorum propria discernat? Cùm his, & innumeris aliis vltimæ ac desperatæ inscitiæ & asininæ sordibus cõmentarij tui omnes fœdati sint: cũ tota in oratione tecum discordes, & contraria miniméque consentanea loquaris: cũ iudicio denique & humano vbiq; sensu careas, neque ad scribẽdum aliud quic-

quam præter os, ac temeritatem afferas, tamenne miraberis extitiſſe non neminem aliquando, qui contra te ſcriberet: quaſi magnũ illud ſit, dignúmque quod etiam atque etiam conſideretur: aut tanti ſit Grammaticus Caluiniſta, vilis & obſcurus homuncio ex inſcitiæ fæce, ſordibuſque concretus, vt ab eius fricanda ac detegenda ſcabie ſpongiam manuſque contineamus? Grauis ſcilicet, ac metuendus aduerſarius eſt Claudius ille Salmaſius; qui tum maximè cùm ad ſui defenſionẽ intentus eſt ac vigil, apertũ latus ad vulnus porrigit, & in craßiora, fœdioraque ſe, quã erant illa, quæ excuſare nititur, errata præcipitat. Atenim homo eſt ille, & in errores, vti cæteri, pronus eſt, ac facilis: tamen humana præter hoc habet reliqua: tamen moderatus eſt, & in tolerandis aliorum delictis eandem, quam ab aliis requirit, æquitatem adhibet: eſt eiuſmodi denique, qui cũ ne tuberibus propriis offendat alios poſtulat, illorũ verrucis ignoſcat. Dixi aliquãdo tibi, & non ſemel dicendũ eſt, ſi inſcitia ipſa & ſuperbia ſcriberet, non ſtylo aliter vſuras ambas, ac tu hactenus facis. Quænam è ſcriptis tui pagina liuore, odio, inſectatione doctorum, & Catholicorum hominum, oſtentatione tui, λυκανθρωπίᾳ denique, ac μισανθρωπίᾳ vacua eſt? Tu Marſi-

lij, vt aliud nihil dicam, certè Regij nuper hac in Academia Professoris, & hominum opinione docti & Catholici memoriam perditè, ac nefariè violasti. Tu in alios plerosque partium earumdem, doctrinæ haud vulgaris homines stylum tuum acuisti. Tu Scaligerum, Casaubonum; tu innumeros ex eadem Caluinistica fæce, eiusdemque tecum Hæresis fœdere deuinctos mordere, ac traducere pridem instituisti. Hoc nobis scilicet literarum, ac literatorum fautoribus, &, quod caput est, Catholicis in Heretico rabula, & imperito Grammaticulo dissimulandũ; & antequam susciperetur, diu, multúmque cogitandũ fuit. Credas cùm hæc apud istum videas, veterani alicuius, & in omni genere disciplinæ consummati, non tyronis ac scioli stolidè minantis verba legere. Magno, inquit, optaueris emptũ Intactum Pallanta. Ησθην ἀπειλαῖς, ἐγέλασα ψολοκομπίαις. *Mene te, ô vacerra! pro eò ac mereris tractasse pœniteat? Vt ne me consilij pigitum esse scias; edico iterum, ac denuncio; mecum deinceps rem fore tibi; ac perpetuũ mihi contra te & immortale certamen esse susceptum, donec Caluinistica cũ pelle proteruiam, impudentiam, maledicendi, & obtrectandi libidinem exuas, teque ad sanitatem, ac bonam mentem referas. Attamen*

suos intra fines inquietari se, & à Theologo vexari Grammaticus queritur. Quid enim Theologiæ, aut Catholicæ religionis minuta hæc intersunt, vnde inter nos orta contentio? Primum quis tibi me Theologum esse dixit? Catholicum quidem me noui, & earum partium, quarum in odium cum tuis conspirasti. Theologum verò neque me facio, neque tu putares esse, nisi Petauium esse me crederes: de quo quia mihi ipsi fidem non adhibes, tum me quemcumque voles fingito, dum ne Salmasius vnquam, aut Σαλμασιοειδὴς esse videar. Sed quod in Theologiæ maiestatem, & καθοσίωσιν commisisse negas, itáne dissimulas quod in vno ex Patribus, Tertulliano scelus ac piaculum ausus es, cùm vltra Grammaticæ fines iaculo expedito, grauissimum in Scriptorē, & Christianæ antiquitatis vindicem inuolasti? Cuius tu pallium postquam annotationum tuarum cœno, ac quisquiliarum Grammaticarum sordibus aspersisti; tum ineptis ac temerariis diuinationibus, & correctionibus tuis miserimè lacerasti, in reliqua Scriptoris eiusdem, indeque alios in Patres grassaturum te porrò denuncias. Hoc videlicet Hæretici ac Caluinistæ Grammatici flagitium æquo animo feremus. Nos, inquam, Catholicarum partium, siue Theologi sumus,

lue hac & contagione pestis Hereticæ Patres ac Doctores nostros afflari, vitiarique sinemus? siue nos amœniores illæ literæ detinent, nouum hoc inscitiæ, temeritatisque portentũ serpere longius, & has ipsas artes inficere, ac deprauare patiemur? Age num leue istud, & intra Grãmatici piaculi noxam coercendum scelus est, quòd Notis, & Commentariis tuis passim Hæreticæ ac pestiferæ doctrinæ virus inspergis? Hanccine vecordiam vt impunè Grãmaticus habeas, qui Christum Dominum, & eius Apostolos Cynico habitu, cultuque velut ad mimũ, Scenamque produxeris? Quid? in Gangrensi Synodo Monasticas dicere vestes publico decreto esse damnatas; & idipsum è Caluini, ac Mornæi damnatis Operibus in sua deriuare scripta, & Catholicæ iuuentuti legendum proponere, num Grammaticum est, aut mediocre delictum? Quamobrem quiritari, ac vociferari desine, eripi Grammatico tibi commentandi Patres, aut emendandi, vel quoquo modo illustrandi *licentiam. Fateor; vix istud ego Catholico Grammatico, qui præter Grammaticam, nullis sit alterius doctrinæ præsidiis instructus, permittendum arbitror. Hæretico verò, qui ne à Grammatica quidem satis paratus, & inscitia plenus, ac superbia, id sibi*

muneris deposcat, non modò non concedendum, sed vel acerrimè resistendum iudico. Proinde tuam, Salmasi Caluinista, caussam cæterorum ab rationibus seiunctam esse memineris: nec idem licere tibi, quod ægrè eiusdem artis, sed Catholicis tribuitur, vt in recensendis Patrum monimentis suam experiatur industriam. Hoc enim reuera est, quod dici tibi non pateris, κακουργεῖν τὴν θεολογίαν. *Multum refert, à quo vtile alioquin officium quemque profectum sit. Quod vulgò fertur,* ἐχθρῶν δῶρα, *latius patet. Tuum illud commentandi, & illustrandi, ac stylum omnino tuum, illi ipsi, de quibus benè mereri te putas, Sanctissimi ac Catholici Patres execrantur: non modò quia imperitus es; sed etiam quia prophanus & Hæreticus: nec diuina sua monimenta conscceleratis istis manibus contrectari; nedum laniari ac deprauari sustinent. Quare missos illos fac, si sapis, & pudori tuo consulis, & ad vxorem, quam vocas tuam, Grammaticam redi; quam à Theologis corrumpi tam falsò, quàm putidè & inuerecundè conquestus es. Lenonem putet quempiam è Scena loqui, qui tua illa verba legerit. Itáne sub patris matrisque disciplina, perdite nebulo, ac nequam, institutus es, vt meretricia illa, & lupanaribus digna in oratione*

tua poneres? Vel hoc ipso palam est moribus te sectaque Cynicum esse, quod certis argumentis conieceram. Ad extremum, vt ne longius abeam, ac tecum finiam, quam me temeritati & imperitiæ tuæ iustis de caussis, imò necessariis, interposuerim, tertius hic, vt de cæteris sileam, Mastigophorus docebit. Ex eo cognoscent omnes, post homines natos futiliorem te ac vaniorem Grammaticum prodiisse neminem, quique minore periculo proritari, atque adeo pene ludibundis ab aduersariis illudi, prosternique posit. Sed ego gloriolam istam, quæ nulla tamen de te, vel leuißima capi potest, non persequor. Satis magnum habebo fructum laboris huius; si & studiosæ iuuentuti, literisque nostris, quarum in perniciem excitaris, operam nauaro: & eorum, quos improbè violas, Regiorum maximè Professorum, dignitati seruiero; & apud posteros deniqué ætatis nostræ dedecus, & infamiam purgauero: vt qui tantum miraturi sunt his temporibus ignorantiæ, stuporisque prodiisse, iidem, qui se huic opponeret, ac fortiter resisteret, non defuiße cognoscant. Vale.

ANTONII
KERKOETII
AREMORICI

ELENCHVS
CONFVTATIONIS
FRANCISCI FRANCI,
qui est
CLAVDIVS SALMASIVS.
Ad confutationem Animaduersorum in Diatribam de Pallio.

Salmasii ἀλογιςία, & ratiocinandi absurditas & imperitia.

QVAM tu Kerkoëtij ἀσυλλογισίαν, & Sophisticas nugas appelles, possumus ex te audire, Salmasi? Nimis profectò tuam imperitiam vrgent κερόεντος illius Kerkoetij cornua. Vel eorum, si potes, vim atque impetum elude. Tu qui Dialecticæ rudimenta non degustasti, qui in Grammaticis nugis iam inde puero ad hanc Pag. 1.

ætatem habitas, ne argumentationem quidem noſtram capere potuiſti. Nam ſi intelligeres, non te hebetem adeò, vel exiſtimationis oblitum tuæ crediderim, vt eâdem ſemper oberrare chorda velles, ac loris noſtris toties terga tua præbere. Tuam, ô præſtigiator! inſcitiam, & ἀλογιστίαν redargui: quòd Tertullianum à toga ad pallium tranſiiſſe tum, cùm eſt factus preſbyter, hoc modo concluderes. *Tria in illius vita diſtinguēda ſunt tempora: vnū, quo nondum Christianus: alterum, quo iam Chriſtianus: tertium, quo iam preſbyter extitit.* Hæc πρότασις vera eſt. Sequitur πρόσληψις: *Togam, cùm paganus adhuc eſſet, adhuc geſtauit: non mutauit item, quo tempore ad Chriſtianam religionem ſe contulit. Igitur tunc mutauit, cùm in preſbyterium cooptatus eſt.* Cedo quem voles Dialecticæ tyronem. Dicet tibi pſeudoſyllogiſmum tuum non procedere; & immaniter fatuam eſſe ratiocinationem iſtam. Nam tria tempora propoſueras: quorum in aliquo togam pallio mutatam oportuit; quæ ſingula latius patent. Nam & paganus aliquandiu vixit; & Chriſtianus inter Laïcos ſatis longo tempore; reliquum in ſacerdotio tempus exegit. Tu in προσλήψει ſolum Paganiſmi tempus integrum excludis: ſecundum, quod inter Laïcos Chriſtianus obiit, non integrum, ſed eius tantùm particulam complecteris. Scribis enim: *Non mutauiſſe habitum, quo tempore ad Chriſtianam religionem ſe contulit, etiam res certa eſt.* At ô blenne! aliud eſt tempus, *quo Chriſtianus vixit*; aliud *quo ad Chriſtianam religio-*

nem se contulit. Hoc enim breue est, & ἀκαριαῖον, aut vnius ad summum horæ, vel diei : illud multorum annorum fuit. Itaque non concludes tum sumpsisse pallium, cùm in Presbyterium cooptatus est. Hoc enim obiici potest; id egisse Tertullianum post aliquot annos, quàm Christo nomen dederat, diù ante quàm presbyter fieret. Verũ demus tibi, ne mutasse quidem togam toto illo tempore, quo Christianus Laïcus vixit: an ideò colliges, tum mutasse, *cùm in Presbyterium cooptatus est*? Hoc tu quidem necesse habes concludere, qui super hac ratione, reconditam illam, & Scaligeris, ac doctis omnibus ignotam hactenus obseruationem struis; Presbyteros omnes palliatos fuisse. At quis tibi concedat Tertullianum togam posuisse, quando Presbyter factus est? Quid si enim post aliquot exactos in Sacerdotio annos palliatus esse cœpit? Præsertim cùm tu ipse pag. 19 Notarum ad Pallium doceas, non omnes Presbyteros pallium vsurpasse; *sed eos solos, qui asceticam profiterentur*: quod & in Confutat. pag. 3. repetis: &, quod amplius est, adiicis; ne ascetas quidem omnes induisse pallium; sed *arbitrariũ illud omne fuisse.* Si arbitrarium fuit Christianis omnibus, ac presbyteris, vti toga, vel pallium sumere; non potes ex eo concludere Tertullianum librum hunc scripsisse de Pallio, quo tempore cooptatus in Presbyterium est; quod qui Presbyteri fierent, palliatos esse omnes oportuit. Perit ergo tibi arcana illa, & insignis obseruatio, de tempore, quo Tertullianus librum de Pallio

ſcripſit. Neque enim conficies, eo temporis momento, quo ſacerdotium iniit, palliatum eſſe cœpiſſe; cùm, vt ipſemet fateris, non omnes Sacerdotes ad pallium redacti ſint, ſed arbitrarium id fuerit. Hæc mea ſimplex, facilis, & neceſſaria collectio fuit. Itaque quam tu Sophiſticam in ea captionem intelligas, & ἀσυλλογισίαν, non video. Et mirum eſt vſque eo plumbeum te eſſe, vt planiſſimi argumenti vim, ac momentum hactenus non capias. Adhibe quem voles in conſilium ex amicorum tuorum numero. Molinæus ecce Miniſter, Pontifex tuus Sedani nuper Dialecticam ſuam Iſagogen recoxit. Scribe ad illum, aut eius Methodum ſcrutare. Senties nihil in ratiocinatione eſſe noſtra captioſum ac fallax: & te vel cæcum eſſe, vel prodigiosè ſtolidum, qui aut lucem in meridie non videas; aut in tam manifeſto ſtupore perſiſtas.

Salmaſii tergiuerſatio, χρύψις, ἐναντιολογία.

Pag. 2. NOn ſolam in Animaduerſis noſtris paralogiſmi tui ſtupiditatem traduximus; verùm etiam μάχην & conflictum ſententiarum ex diametro pugnantium. Hæc ſunt ἀντιφατικά: *Soli Preſbyteri Pallium inter Chriſtianos gerebant: Non ſoli Preſbyteri pallium gerebant. Item: Omnes Preſbyteri palliati fuerunt; non omnes Preſbyteri palliati fuerunt.* Hæc non ſolùm in Notis; ſed & in Confutatione, doceo ſingillatim abs te eſſe ſcripta. Quod

ſoli Preſbyteri pallium habuerint, ſcribis Notarum pag. 17. *Et pallium illud eſt, quod ſacerdotalis habitus nomine inſigniuit Tertullianus, quodque* à SOLIS SACERDOTIBVS *gerebatur; non ab omnibus Chriſtianis paſſimitus vſurpabatur.* Quòd autem non ſoli pallium ſacerdotes induerint, aſſeris Notarum pag. 19: vbi multos ex Laïcis propter ἄσκησιν hac eadem veſte vſos eſſe tradis: nec non Confutat. pag. 3. id apertiſſimè defendis. Quare ex tuis decretis, ſoli Sacerdotes palliũ gerebant; & non ſoli gerebãt. Sequitur par alterũ contradicentiũ. Huius partẽ affirmantẽ, *Omnes Preſbyteros palliatos fuiſſe*; totidem verbis exprimis Notarum pag. 5. *Nam qui diſciplinæ Chriſtianæ diligentiſſimos, & exactiſſimos cultores præſtare volebant in omnibus, hi Chriſtiani Philoſophi erant, & dicebantur. Tales Tertulliani ætate Epiſcopi, Preſbyteri, &* OMNES CLERICI. Non omnes verò Preſbyteros pallium cœpiſſe diſputas pag. 19. Notarum, & in Confut. pag. 3. Notarum verba ſunt; pallium vſurpaſſe *ex Preſbyteris eos ſolos qui aſceticam profiterentur.* In Confut. *Non omnes, ſed ſolos aſcetas, & qui inter Preſbyteros durioris, & auſterioris vitæ propoſitum ſectarentur.* Proinde conſequens eſt; Omnes Preſbyteros palliatos fuiſſe; & non omnes Presbyteros palliatos fuiſſe. Hæc profectò contradictoria ſunt: de quibus cùm ne mutire quidem in Confutatione tua auſus fueris, tamen imperitiæ, & impudentiæ nos argues; & te *ſtercoribus, excrementis, merdis albis*, ac cæteris ſpurcidiciis tuis, quæ in ore perpetuò verſas, conuitiis vlciſcêris.

Futilissima Salmasii obiectio, & ἔνστασις.

Pag. 3. SAcerdotum vestem propriam fuisse pallium, ex eo Tertulliani loco deduxeras, in quo *super omnes exuuias, & peplos augusta vestis, superque omnes apices, ac tutulos sacerdos suggestus* appellatur. Frigida ratio, miréque futilis. Primùm quia in aliis exemplaribus non *sacerdos*, sed sacer habitus legitur, quod sanè melius est. Itaque tua coniectura οἴχεται. Deinde quia etsi *sacerdos habitus* asciscatur, idem valet, ac *sacer*, & ita locutus fuerit; quoniam cum sacerdotalibus aliis indumentis conferebat pallium. Contra hæc nugacissimam ἔνστασιν commentus es. *Si quis togam*, inquis, *sago præstare, vellet dicere; ita etiam iuxta illam tuam sententiam dicere posset: togam super omnes chlamydes, & saga, & paludamenta militarem esse suggestum. Ita enim inferret, togam non dici militarem suggestum, quia militum suggestus esset; sed quia omnibus militaribus ornamentis antistaret.* In hac obiectione, iudicij, ac communis sensus, οὐδὲ ψῆφαλος est. Nam si *militaris* vocem propriè sumas, nihil est in toga, quare militaris vocetur. Sin καταχρηστικῶς vsurpes, & translatitiè, quatenus etiam forensem ad militiam traducitur, non incongruè ita dici possit; vt si M. Tullius in toga se vehementius & vtilius pro Rep. certasse diceret, quam Pompeium cum sago, & paludamento: Togam ille suam diceret supra saga

omnia militarem esse vestem. Sed tum *militaris* vox ambiguæ significationis esset, & vtramque, quod dixi, militiam ambitu suo contineret. At cur Tertullianus sacerdotem vestem appellaret pallium (si tamen ita nominauit) longè alia ratio est. Quippe diuersos variorum Sacerdotum habitus memorans, inter cæteros, Æsculapij Sacerdotes ait pallio amictos esse: ex quo ad palliatos Christianos trãsiens, postea quam ipsos vestire cœpit, supra ornamẽta Sacerdotum omnium pallium eminere scripsit. Meritò id quidem. Nam & Sacerdotalis vestis pallium fuit; & in Christiana professione inest quædam sacerdotij dignitas. Siquidem *regale Sacerdotium* à Petro vocatur. Proinde non absurdè sacerdotalem suggestum pallium vocare potuit. Quod verò de toga in exemplum arcessis, putidum, puerile, ἀνάξιμωστον est, & Salmasij ingenio dignum.

Salmasii ἐναντιολογία.

QVId infelicius hac indole tua? Etiamne non vides quid in dissertatione illa de Pallio absurditatis pugnæque sit? Tu in vna pagina scribis, & omnes, & solos pallium vsurpasse Presbyteros: in altera nec solos, nec omnes. Hæccine consentanea sunt? Hæc non secum ipsa confligunt? Loca ipsa paulo antè designaui. Vide, καὶ σιγῇ κάθισο. Satis infamiæ ex tam immani vecordia comparasti. Noli

hac ventilanda inſcitia inſigniorem illam facere. Sacerdotalem habitum rogas ecquid vocare pallium non licet, quamuis alij, pręter ſacerdotes, eo ſint vſi. *Quàm multi*, inquis, *hodie Laici in Franciſcanorum habitu ſepeliuntur? quàm multis etiam in vita ex voto geſtandus datur, pueris, & puellis, vt vitales ſint? non propterea tamen Franciſcanus habitus appellari deſinet, quod quidam non Franciſcani eum vſurpent.* Euge: Homo Caluiniſta Franciſcanorum ſe habitu, ac religione defendit. At quàm inſcitè! Nam præter Frãciſcanos, aut qui ſe Franciſcanos videri volunt, aut denique ad illorum vtcunque collegium pertinere, nemo illorum habitum vſurpat. Pueri illi votiui, puellęque temporario illo veſtitu Franciſcanos ſe faciunt; id eſt, D. Franciſco deuotos, & conſecraneos. Multo id magis & illi præſtant, qui in eiuſmodi veſte ſtudent emori. An præter ſacerdotes, qui pallio vtebantur, ſacerdotes fieri, aut videri cupiebant? Hæc tu vel cogitares, niſi ſenſum, & iudicium perdidiſſes?

Pag. 4.

Ineptiſſima, & imperitiſſima Salmaſij opinio, Pallium Philoſophicum nihil à communi diſcrepaſſe.

CVm ſexcentis in locis & ignarum omnium rerum, & ad ea, quæ neſcis, docenda pręcipitem ac temerarium te eſſe planum fecerim, nunquam tamen, opinor, apertius,

καὶ

καὶ ἀναντιῤῥητότερον, quàm hoc loco reuincam: Verba tua sunt: *Pallium verò Philosophorum, & Græcorum omnium, Iudæorúmque idem fuit: exceptis enim Cynicis, reliqui philosophi commune pallium Græcanicum gestabant.* Hem! quid audio? Nihil inter Philosophorum pallium & populare Græcorum interfuit? Solùm Cynicum ab communibus dignosci potuit; cætera nihil discrepabant? Vix est vt tui compos ista scripseris. Itàne, Grammaticorum φέριστε, pallij certi nota, & habitu reliqui, præter Cynicos, Philosophi à vulgo discerni nequibant? Vbi est τρίβων, & τριβώνιον illud, quod Philosophorum insigne fuisse proditur? Vtrúmne Cynicæ sectæ Philosophi illi omnes fuerunt, quibus velut proprium quiddam τριβωνοφορεία tribuitur? Ergo Plutarchus, cùm ait Philosophi notam esse τριβωνοφορείαν, & πωγωνοφορείαν, solam Cynicam Philosophiam intelligit? Themistius Orat. IX, Alexandrum, Augustum, Marcum Antoninum nullam aliam ob caussam tantum splendoris assecutos dicit, ἢ ὅτι τῶν χλαμύδων οὐκ ἀπεσκήνου πολὺ τὰ τριβώνια: *nisi quod non procul à chlamydibus pallia versarentur.* Si nihil inter pallia cæterorum Philosophorum & communia Græcorum interfuit, de solis Cynicis locutus est Themistius. De illis enim verba facit, quos hæc τριβωνίου nota ab aliis Græcis discreuerat. Atqui subinde Aristotelem, & Arium intelligere se demonstrat: οὐδὲ Παμφύλιος Ἀριστοτέλης ἀτιμότερος ἦν, οὐδὲ Ἄρειος Ἀγρίππου. Si Grammaticum Salmasium audimus, Aristoteles Cynicus fuit. Nam ille τριβώνιον habuit, qua velut

nota à Græcorum vulgo diſtinctus eſt; quod ſoli Cynicæ ſectæ conuenit. Cynicus & ille ipſe Themiſtius fuit; qui de ſeipſo loquens Orat. VI, Theodoſij ſtudium in Philoſophiam prædicat, quòd in Occidentem profecturus filium Arcadium non alteri, quàm Philoſopho, & τριβώνιον ἀμπεχομένῳ, id eſt palliato ſibi commẽdarit. Epictetus, qui ſub Nerone vixit, apud Arrianum, Diſſert. lib. IV, Cap. VIII. τίς οὖν ὕλη φιλοσόφου; μὴ τρίβων; οὔ, ἀλλὰ ὁ λόγος. τί τέλος; μήτι φορεῖν τρίβωνα; οὔ, ἀλλὰ τὸ ὀρθὸν ἔχειν τὸν λόγον. *Quæ eſt Philoſophi materia? num pallium? Non: ſed ratio. Qui finis? an pallium ferre? Non: ſed rectam habere rationem.* De Philoſophis vniuerſè loquitur, maximéque Stoicis. Sed & paulò antè; οὗτος φιλόσοφος. διὰ τί; τρίβωνα γὰρ ἔχει, καὶ κόμην. *Hic Philoſophus eſt. Quid ita? quoniam pallium habet, & comam.* Theodoretus Orat. I. de Prouid. de Philoſophis loquens, qui gentilem ſuperſtitionem plurimùm amplificarũt: ἡ δὲ ἐν τρίβωνι λευκῷ, καὶ πώγωνι μακρῷ, καὶ κόμῃ κεφαλῆς τὴν φιλοσοφίαν ὁριζομένη, τῆς ποιητικῆς θεολογίας τὸ καταγέλαστον ὁρῶσα, ἑτέρας πλάνης ἐπενόησεν ἀτραπούς. *At illa hominum manus quę albo pallio, & prolixâ barbâ, comáque capitis Philoſophiam definit, Poëticæ Theologiæ ridiculam abſurditatem videns, alterius erroris ſemitas excogitauit.* Qui Theodoreti locus aliud tuum νεανίευμα caſtigat, quo in Notis ad Tertul. pag. 18. vniuerſè pronunciaſti, *pulli coloris fuiſſe pallium Philoſophorum.* Ad hæc Iuſtinus Martyr initio Dialogi cum Tryphone ſcribit ſe ex habitu ipſo pro Philoſopho agnitum à Iudæo. Num Iuſtinum Cynicæ ſectæ

professorem dices fuisse? Sed ἅλις μαρτύρων. Infinita sunt apud Plutarchum, aliosque Scriptores loca; quibus ostendi possit; cæterorum Philosophorum τρίβωνας à vulgaribus Græcorum palliis diuersos fuisse; adeò vt hac ipsa pallij nota à reliquis discernerenrur. Quare nisi te, Salmasi, aliis ex hallucinationibus, & ostẽtis inscitiæ pridem cognitum haberemus, valde miraremur homini non insano, nec ebrio tantam stupiditatem excidisse. Ad extremum, quid iste Sexti Empirici locus ad erroris tui patrocinium facit? *Diogenes*, inquit, *in exomide, procedebat*; *nos vt solemus*. An ex eo colliges Philosophorum pallia nihil à vulgaribus habuisse discriminis? Nonne τὸν ἐγκέφαλον ἐν ταῖς πτέρναις habes, cùm sic disputas?

Salmasii prior illa opinio eiusdem contrario decreto refellitur.

MEmento quoties tuis ex verbis te conuicerim: quot ἐναντιολογίαι in scriptis tuis deprehensæ: quoties denique duo ἀντιφατικὰ totidem verbis à te pronunciata, iisdem nõnunquam paginis, obiecta sunt. Hæc satis arguunt tumultuariam habere te in Excerptis congeriem, ac syluam; quam ἀκρίτως, & ἀβασανίστως profundis. Libet hoc idem loco monstrare; duo te ex diametro pugnantia, & contraria docuisse. Ais pag. 5. *Philosophicum pallium Græcorum fuit pallium, quo* GRÆCI OMNES *olim communiter vsi sunt*, ante Tertulliani æta-

tem. Eodem *Græcanico pallio etiam Iudæi amiciebantur. inter Iudæos ergo etiam Apostoli; etiam Dominus ipse*: (ais pag. ſequente) & in fine paginæ ſcribis ea, quæ ſuperiori capite notata ſunt: *Pallium Philoſophorum, & Græcorum omnium, Iudæorúmque idem fuiſſe, exceptis Cynicis.* Quod icċirco doces, vt Apoſtolorum, ipſiúſque adeò Chriſti pallium idem ac Philoſophicum fuiſſe probes. Hoc enim non aliter ſequitur, quàm ſi Iudæorum cõmune pallium oſtendatur à Philoſophico minimè diſcrepaſſe; quod tu pag. illa ſcripſiſti. Hæc prima contradictionis pars: *Philoſophicum pallium à vulgari Græcorum, ac Iudæorum pallio differre nihil.* Sequitur altera: *Inter Philoſophicum pallium & commune Græcorum, ac proinde Iudæorum fuiſſe diſcrimen.* Hanc tu diſertiſſimè pag. 55. Notarum ad Tertull. Pall. exprimis. Audi Baſilicas editiones tuas: SCIENDVM EST, *inter pallium elegantiorum Græcorum, & pallium Philoſophicum, hoc eſt τρίβωνα, differentiam fuiſſe. Tertullianus Philoſophi habitum ſumpſerat, cùm à Carthaginienſibus ſuis audiit*, itane à toga ad pallium? NON COMMVNE GRÆCORVM PALLIVM, *ſed hoc Philoſophicum vulgò infamabant tunc homines.* Suprà idem dicebas eſſe pallium, quo Philoſophi, & quo GRÆCI OMNES OLIM COMMVNITER vtebantur: Item: pallium Philoſophorum, & GRÆCORVM OMNIVM, Iudæorumque idem fuiſſe. Nunc inter vtrumque vis fuiſſe diſcrimen; ita vt Carthaginienſes ſolùm Philoſophicum riderent, non autem commune Græcorum

pallium. Explica te ex iis ſalebris, & doce nos, quî tandem iſta concordent: idem fuiſſe, & non fuiſſe Græcorum commune pallium cum Philoſophico.

Salmaſii noua ἐναντιολογία.

ALiud ἐναντίωμα tuum recognoſce. Pag. 7. Coufutat. ſcribis poſt legem Antonini, *Pag. 7.*
qua totus orbis Romanus ciuitatis iure donatus eſt, Romanam veſtem OMNES geſſiſſe, etiam in Oriente & Græcia: ac deinceps pallij vſum penes ſolos manſiſſe Philoſophos; quod in Occidēte iampridem vſitatum fuerat. Huic contrarium eſt decretum illud alterum, quod ex Notis pag. 55. modò protulimus. Scribis enim Carthaginienſes commune cæterorum Græcorum pallium non reprehendiſſe; ſed duntaxat Philoſophicum. Ergo Tertulliani tempore, poſt Antonini legem, Græci pallium adhuc gerebant. Ad hæc Iuſtinus Martyr, & Ariſtides ante legem Antonini, Adriano Imperatore, Chriſtianam fidem amplexi ſunt; quod de Ariſtide teſtatur Hieron. Catal. de Iuſtino non minus certum eſt. Et iidem tamen, poſtquam Chriſtiani facti ſunt, in priſtino habitu perſeuerarunt; quod tu pag. 18, & 19 Notarum obſeruas. Proinde priſtinus ille habitus; hoc eſt commune Græcorum & Orientalium pallium, à Philoſophico differebat.

Ridicula Salmasii sententia, Christum, & Apostolos Philosophico pallio vsos fuisse.

Pag. 7. DVo hîc absurda, & fanatica defendis. Primum est; Apostolos cum Christo Philosophicum pallium induisse. Duplici error iste firmamento nititur: Alterum, Græcorum pallium idem fuisse cum Iudaïco: Alterum, ab vtroque nihil discrepasse Philosophicum. Horum prius nullis argumentis approbas; sed quasi concessum vsurpas. At ego pernego, Iudæorum pallium idem cum Græco fuisse. Pallij vox, vt scis, latissima notione pro vario genere amictus sumitur. Non satis est igitur docere, Iudæos opertos fuisse pallio; nisi cuiusmodi pallij forma, & figura fuerit, ostenderis. Ecce tibi Philosophicum pallium, pallium fuit: & tamen à communi Græcorũ ita differebat, vt statim hac nota Philosophi ab reliquis discerni possent. Sic ergo Iudæorum pallium à Græcanico multum, à Philosophico plurimum dissidebat. Posterius, quod asseris, nempe Philosophicum pallium cum Greco, & Iudaïco idem fuisse; alibi, vt ostensum est, retractas, ac refellis; & sine dubio falsissimum est. Quare vtroque illo fundamento subruto, funditùs vnâ quod adstruxeras euertitur; neque iam constat; Christum & Apostolos Philosophicum pallium gessisse.

Aliud absurdum ex Salmasii sententia deductum: in quo κριτικὴ hominis ἀναισθησία traducitur.

NON possum me continere, Salmasi, quin tuam ἀναισθησίαν, & cæcitatem irrideam. Hoc idem te facturum esse certò scio, cùm hæc legeris. Omnes omninò Græcos pullatos fuisse, Iudæos item omnes, sanè ridiculum est. Tu idipsum affirmas. Nam si, *exceptis Cynicis, reliqui Philosophi commune pallium Græcanicum gerebant*, quod ais pag. 6. Philosophicum verò pallium pulli coloris fuit; quod doces in Notis ad Tertull. Pall. pag. 18, euidens est conclusio, Græcorum commune pallium pulli coloris fuisse, nec minus Iudæorum omnium, quos idem cum illis pallium censes induisse. At hoc ipsum non risu simplici, sed cachinnis, sed sibilis, sed pastoritiis fistulis, sed scuticis, locis, ac verberibus excipiendum est. Quid quod & ille ipse locus, quem ex Basilio Presbytero affers in Notis pag. 18. contra te facit? Scribit enim oratores pallium habuisse *rubrum* & *puniceum*. Iudæos sane pullatos fuisse perabsurdũ est. Si Iudæi pullati non erant; Christus Dominus & Apostoli pullati non fuerunt. At Philosophorum pallia pulli coloris erant. Igitur Philosophico pallio neque Christus, neque Apostoli, neque Græci reliqui communiter vsi sunt. Hoc cùm tu imprudens ipse mecum asseras, tamenne insanum me, quod ita sentiam, appellabis? *Pag. 7.*

Stolida Salmasii obiectio refellitur.

ATqui Iudæos eodem, quo Philosophos, indutos esse pallio, Epiphanius, inquit, docet, qui Scribas, & Pharisæos palliatos facit. Vbi tu apud Epiphanium legisti, istos ipsos Philosophicum gessisse pallium? Nam pallium commune, vti dixi, vocabulum est. Mirum nisi te mortales omnes, & Grammaticam tuam deament, cùm ab ea reconditum illud, nouumque didicerint; Aristotelem, Platonem, Stoicos, Peripateticos, Græcos deinde omnes, Scribas, Pharisæos, ac Iudæos fuisse.

Palladij locus à Salmasio allatus excutitur.

PAlladij locus, quem adfers, si quis pugnare velit, aliud quàm putas ostendet. Probas secundum Antonini legem Romano Imperio subditos omnes, omisso pallio, ad Romanum transisse cultum, hoc est togam, vel birrum. Hoc tibi Palladius significare videtur, cùm Atheniensem populum in βιῤῥοφόρους, & τριβωνοφόρους diuidit, è quibus istos Philosophos, & palliatos esse, birris autem indutos, reliquum omnem esse populum arbitraris. Hoc possum negare. Palladius in Lausiaca, Cap. LXXIII. de Serapione loquens refert Athe-

nas

Athenas ipsum aliquando venisse; Ibi triduo sine vllo cibo peracto, quarto demum die cliuum quendam, qui in vrbe erat, ascendisse, ἔνθα οἱ ἐν τέλει τῶν ἐκεῖ ἦσαν συναθροιζόμενοι: *in quo congregari solebant, qui erant in dignitate.* Ex edito illo loco Serapion clamore, atque plausu ad sese populum euocauit. Mox συνδραμόντες δὲ πάντες ὑφ' ἓν τριβωνοφόροι τε, καὶ βυῤῥοφόροι. *Accurrentes autem ad vnum omnes qui pallium gestabant, & qui byrrum, &c.* In cusis codicibus est κιῤῥοφόροι: pro quo βυῤῥοφόροι vetus interpres legit. At byrris qui vtebantur isti, non quilibet erant è vulgo, sed οἱ ἐν τέλει, qui Magistratus ac dignitates obibant. Nam vetus Interpres vertit *primates*. Hi cum philosophis, aut etiam cum reliquo populo palliato, ad subitam illam vociferationem àccurrerunt. Quare nutat obseruatio ista de byrris, quos posito pallio Græcos omnes induisse fingis. Verùm age concedatur ille tibi Palladij locus, &, quod nonnulli suspicantur, pro οἱ ἐν τέλει, legamus εὐτελεῖς, tamen in reliquis, quàm horribiliter pecces, deinceps accipe.

Horrendum ac detestabile Salmasii monstrum; Christum, & Apostolos Cynicos fuisse: cuius & primùm argumentum refutatur.

DOcui quod erat primum, falsò te Philosophicum pallium in Christi, & Apo-

ſtolorum humeros inieciſſe. Proximum huic imò longe horribilius, ac deteſtabilius eſt inſcitiæ temeritatiſque portentum; quod etiam Cynicos Apoſtolos, Cynicum ipſum Dominum Ieſum fuiſſe pertendis. Parumne, Caluiniſta Grammaticule, fuit nugis & ineptiis tuis optimos quoſque vtriuſque linguæ Scriptores inficere? Etiam in Chriſtum Deum ac Saluatorem noſtrum contumelioſus eſſe pergis? Tu Cynico habitu, velut mimica quadam ſchema Chriſtum Dominum, tu Apoſtolos Chriſti ſubornare non vereris? tu caninam illam laruam, turpiſſimámque perſonam Deo, ac ſanctiſſimis affingis iſtis? Et Kerkoëtio tuo ſuccenſes adhuc, quod ab Apoſtolica tibi ſede, Epiſcopiſque Galliæ malum ideo minatus eſt, quod tu veterum in Patrum monimenta graſſandi initium à Tertulliano feciſſes? Sed de Chriſto Cynico tuo; (Neque enim eundem nobiſcum vos Hęretici, ac Caluiniſtæ Chriſtum reipſa colitis, tametſi eundem appellatione tenus vſurpetis.) De Chriſto igitur, quem tu Cynicam ad ſectam reuocas, hæc impudentiſſima tua eſt oratio: *De Cynico verò*
p. 8. *habitu, quod tantopere tibi ridiculum videtur, poſſum tibi oſtendere, non longè ab eo habitu Apoſtolos abfuiſſe, immò de ipſo habitu penè Cynicos fuiſſe.* Eundem habitum Cynicum non minus Chriſto ipſi, quam Diſcipulis imponis: idque probas pag. 9, ex diploide, qua fertur indutus. Age quibus id nobis perſuadebis argumentis? Primum eſt: *vetantur Apoſtoli calceos, hoc eſt* ὑποδήματα, *pedibus inducere: Cynicos quoque fuiſſe*

ἀνυποδήτοις *constat.* Iam ad ista secundus noster Mastigophorus occurrit. Negaui tibi Christi vllo præcepto iussos esse Discipulos, calceamentis perpetuò carere. Hoc verò mandatum, quo non calcei tantùm propriè dicti, sed etiam soleæ, & id genus alia prohibebantur, illius tantùm, quo sunt missi primò, temporis extitisse: postea caligatos Apostolos ritè, ac sine peccato fuisse. Relege quæ à pag. 33. Mastigophori secundi super ea re plenius disputaui.

Alterum argumentum Salmasianum de Cynismo Apostolorum falsitatis conuincitur.

ALterum Cynismi in Apostolis argumentum: *Sub pallio plus vna tunica indutui habere iisdem ibidem interdicitur: Cynicos vnicam sub pallio tunicam interulam tantùm habuisse, certa fides est.* At ὦ 'γαθὲ, aliud est ὁ χιτὼν, aliud χιτωνίσκος, & interula. Cynici vnam sub pallio interulam habuerunt, χιτῶνα nullum. Apostoli ergo Cynici non erunt, quibus tunicas habere conceditur. Porro sub pallio plures simul induere tunicas, ne hoc quidem temporario præcepto vetantur Apostoli, si quid eruditis Interpretibus creditur: sed duas habere, quibus diuersis temporibus vterentur. Eadem & Bezæ tui Doctoris interpretatio est; quem tu αὐτόχρημα Caluinista doctissimum Theolo-

P. 13. gum in Notis ad Pall. vocas. Qui & tunicas duas de mutatoriis, quas Hebræi vocant חליפות, accipiendas existimat. Sed finge Christum duarum vsu tunicarum tunc Discipulis interdixisse; non ideo plures vna nunquam induisse conficies. Siquidem quæ Apostolis in illo veluti tyrocinio mandata sunt, non perpetua lege iisdem imposita fuisse, alibi docuimus. Itaque nulla Christi sanctio prohibuit, quo minus duas si ita necesse foret, tunicas postea vsurparent Apostoli; saltem ὑποδύτην, & ἐπενδύτην, tunicam interiorem, & superariam.

Reliquæ Salmasii rationes stolidissimæ discutiuntur.

TErtius Caluinistæ στοχασμός: quia baculum habuerunt Apostoli. Atqui alter Euangelista baculum à Christo iisdem ablatum memorat. An qui baculos habent, omnes Cynici sunt? An verò necessarium hoc putas gestamen Apostolis indictum? Erras, & iculariter peregrinaris in re facili.

Quis te porro docuit, Apostolos, Cynico more, exerto brachio dextro, pallium in sinistram coniecisse (quod quartum κυνισμοῦ in Apostolis signum exhibes?) Quis author? quæ ratio? quod coniecturæ firmamentum hoc vt persuasum habeas facit? Tu ad picturas, & anilia ludicra commenti illius authori-

tatem reuocas. An tibi ſatis conſtat, Apoſtolos perpetuò fuiſſe palliatos? Certe penulam interdum inieciſſe tunicæ, ſatis arguit, quod Paulus II Tim. IV, 13 penulæ ſuæ meminit. τ̀ φελόνlω, ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens adfer tecum.* Vbi penulam, qua pro pallio vtebantur veteres, Beza Doctor tuus intelligit: nec improbat Patriarcha tuus Caluinus. Quocirca cùm Apoſtoli penulati nonnunquam fuerint, minimè ſunt ad canum tuorum gregem adſcribendi. Nam Cynici perpetuò palliati. Vt omittam Apoſtolorum pallia à philoſophicis, Cynicis, imò Græcis, fuiſſe diuerſa.

Diatribam de Pallio Salmaſianam friuolam penitus ac ridiculam eſſe monſtratur.

AD ſummam; nondum hactenus demonſtraſti, Chriſtum & Apoſtolos Græcanicum, vel philoſophicum pallium induiſſe; multo minus Cynicum. Hoc vt probares, primùm illud perſuadere debueras, Iudæorum idem ac Græcorum fuiſſe pallium: Secundò philoſophicum à communi Greco non diſcrepaſſe. Neutrum vel leuiſſimè ſuaſiſti. Imo verò contrarium partim validiſſimis argumentis oſtenſum; partim abs te ingratiis extortum. Quocitca vana eſt obſeruatio tua

de Tertulliano, quem ex eo conieceras in aditu ipſo Sacerdotij opus illud elucubraſſe; quòd Sacerdotes omnes philoſophicum pallium aſſumebant. Hoc verò rurſus inde colligebas, quod Sacerdotes Chriſti & Apoſtolorum more veſtiebantur; qui quidem philoſophico pallio vſi ſunt. Hæc nos omnia falſa, ridicula, ſtolida, fanatica; vno verbo, Salmaſiana eſſe, omnibus rationum momentis adſtruximus: quod erat loquaciſſimæ tuæ de Pallio Diſputationis argumentum. Nihil tua magis intererat, quàm vt ab hac ſcabie vngues abſtineres; neque tam abſurdi commenti memoriam, quæ paulatim obſoleſcere taciturnitate tua poterat, vecordia & pertinacia refricares.

De Euſtathio in Gangrenſi Synodo damnato Salmaſii ἀλογία.

Pag. 10 DE Euſtathio, quem Gangrenſis Synodus damnauit, præ Dialecticæ, & bonarum artium inopia meram ἀλογίαν effutis. Aſſerebas illum Epiſcopos & Preſbyteros ad antiquam ἄσκησιν & pallium voluiſſe reducere, Pag. 31. Notarum ad Pallium. Oſtendimus in Animaduerſis pag. 12. non magis in Epiſcopis, aut Preſbyteris, quàm in cæteris, etiam Laicis, communem damnaſſe veſtem. Tum ex eo ſic argumentabamur: *Si ad priſtinum habitum ſectatores ſuos reuocauit Euſtathius; ſequitur com-*

munem olim omnium Christianorum habitum fuisse pallium. Hoc non concedis. Alterum ergo falsum est, Eustathium ad pristinum habitum reuocare studuisse. Syllogismus iste sine dubio contra te procedit. Tu ex aduerso ita præscribis: *Ex hac Cercoëtiana dialectica colligitur omnes Christianos illorum temporum asceticam professos esse, & Sebasteni Eusebij sectatores fuisse.* Quid ita? *Nam quum ipse asceta esset, & pallium gestaret, vt plerique tum soliti ascetæ, neminem ex sectatoribus suis, & eiusdem propositi obseruatoribus, non ita vestitum videri voluit.* Huius ἀσυλλογίστου ratiocinationis nec pedem nec caput video. Hęc enim est forma: *Eustathius asceta, & pallium gestans, sectatores suos ascetas esse, & palliatos voluit. Ergo communis Christianorum omnium habitus, pallium fuit.* Vides ἀλογίαν. At nostra concludendi ratio efficax & τμητική. *Eustathius sectatores suos ad pristinum habitum reuocare studuit, vt putat Salmasius. Idem porrò ad ascetici pallij vsum suos illos vocauit; vt ex Canone Salmasius colligit. Igitur ex Salmasii sententia pristinus & communis Christianorum omnium habitus pallium fuit asceticum.* Hunc tu argumentationis arietem retundere, aut infringere nulla tergiuersatione poteris. Perrumpet obstantia quæque; ac pueriles tuas molitiones, & luteas substructiones vno impetu disiiciet.

Salmasii de Canone Gangrensi prima opinio, & interpretatio vanissima ineptissimaque refellitur.

Pag. 11. NVnc de Eustathij ipsius dogmate, & Gangrensis Canonis sententia disputemus. Εἴ τις ἀνδρῶν (aiunt Patres Can. XII) διὰ νομιζομένην ἄσκησιν περιβολαίῳ χρῆται, καὶ ὡς ἂν ἐκ τούτων δικαιοσύνην ἔχων καταψηφίσοιτο τῶν μετ᾽ εὐλαβείας τοὺς βήρους φερόντων, καὶ τῇ ἄλλῃ καὶ ἐν τῇ συνηθείᾳ οὔσῃ ἐσθῆτι χρωμένων, ἀνάθεμα ἔστω. Quæ Dionysius Exiguus Latinè sic reddit: *Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quasi per hoc habere se iustitiam credens, & despicit eos, qui cum reuerentia byrrhis, & alijs communibus, & solitis vtuntur, anathema sit.* Huius Canonis sensum variè, ac parum constanter interpretatus es. Primùm in Notis ad Pallium Pag. 31. scribis in eo notari ac damnari Sebastenum Eustathium, *qui Episcopos, & Presbyteros ad antiquam* ἄσκησιν, *& pallium reducere vellet, vestemque communem, & ciuilem habitum in sacerdotibus condemnaret, quos ad philosophicum pallium reuocabat.* Non negabis imperitissimè te putasse, solos Episcopos & Sacerdotes ab Eustathio ad religiosum illum habitum, ac reliquam ἐθελοθρησκείαν vocatos. Vnde enim stolidum illud commentum hausisti? Solosne ad cœtum suum Episcopos, ac Sacerdotes aggregabat Eustathius? Epistola Synodica

Patrum

Patrum Gangrensium docet, seruos ab Eustathio in gregem admissos, eosque *inusitato illo religionis more dominos contempsisse*. Credo serui illi Episcopi erant, & Sacerdotes. Vbi iudicium hominis? Fatere itaque, quod res ipsa clamat; vacuum tibi cerebri caput fuisse, cùm Diatribam illam de Pallio scriberes; in eaque monimentum hoc inscitiæ tuæ poneres, Eustathium, qui περιβόλαιον, & religiosum illum amictum etiam seruis indixerat; solos ad hunc Episcopos, & Sacerdotes vocasse. Igitur non solis Episcopis, & Sacerdotibus legem præscribebat Eustathius; sed omnibus hominum ordinibus, quos quidem in cœtum adoptabat. Εἴ τις ἀνδρῶν, inquit, non εἴ τις Επισκόπων, vel Κληρικῶν. Vel hic vnus error tuus, quot Mastigophoros commeruit!

Altera eiusdem Interpretatio hæretica, & blasphemiæ plena reijcitur.

AGe non bellè Grammaticæ tuæ in priori illa sententia processerat: tamen rem attigisti denique, & melius aliquid, ac commodius inuenisti. In Confutatione Animaduersorum nostrorum sic eundem Canonem explicas: Eustathium damnari, quod Ascetis suis, & Monachis religiosam illam vestem præscriberet: Eam verò habitus mutandi necessitatem ab Ascetis istis, & Monachis Synodum Gangrensem Canone illo remouisse; *Pag. 11*

quum nihil facere ad pietatem , & sanctioris vitæ propositum illam habitus mutationem contra Eustathium iudicaret. Hîc vero iam non amentia , & inscitia solùm erupit, vt in illa priore, sed profana impietas & sacrilega. Tandem ex auriculis asininum se pecus prodidit. Merum inquam ac germanum, te, quod tam callidè tuis in scriptis dissimulaueras , Caluinistam , & Hęreticum agnouimus. Scin' tu mihi plerosque gratificatos esse exteros homines, quod qui te leuem , & imperitum Grammaticulum ex libris tuis perspexerant , ijdem ex Animaduersis nostris Hæreticum Caluinistam, & ab Ecclesia Catholica transfugam , ac desertorem esse didicissent. Faciam vt id omnes hoc loco clarè perspicueque cognoscant. Vt rem in pauca conferam, scito tuam illam Canonis expositionē nō modò ridiculā , & hebetē, sed etiam ab gregalibus tuis Hæreticis, præsertim à Plessæo , vsurpatam , & hæreticam esse. Tu Synodum Gangrensem autumas in Ascetis, ac Monachis religiosum , ac cæterorum dissimilem habitum , vestémque damnasse ? Primùm à priori illa tua interpretatione recedis. Neque enim solos Episcopos , aut Sacerdotes in Ascetarum suorum numerum Eustathius retulit. Quare non solos ad nouum illum habitum Episcopos ac Sacerdotes traducere, aut à communi , & vsitato remouere studuit. Deinde quo authore defendis , Gangrense Concilium anathema dixisse iis , qui à Monachis diuersum ab reliquo hominum statu cultum , ac vestitum exigerent ? Quis vn-

quam Catholicarum partium? quis nisi impius, nisi detestandus, ac proscriptus ab Ecclesia credidit, scripsit, docuit, Synodi vllius iudicio damnatos esse, qui Monachos aliis vestibus, alio corporis habitu iuberent vti, quàm quo cęteri omnes vterentur? Itane Antonij illi, Pachomij, Hilariones; Ægyptij denique Monachi omnes, quorum plerique Gangrense Concilium antecesserunt, Eustathiani fuerunt? damnati fuerunt? anathema sanctissimis illis Monachis Gangrenses Patres imprecati sunt? An tu brutus eris adeo, vt ab Antonio, vel Pachomio quenquam inter Ascetas relatum ac Monachos existimes, qui non communem vestem religiosa, & ordinis propria commutaret? Hęc non tam ob nefarium sacramentum, quod aduersus Romanam Ecclesiam ritúsque Catholicos, iubente, ac pręeunte matre, dixisti, Caluiniana & Hæretica scriptis aspergis tuis; quàm quod propter ingenij tarditatem, & Grammaticam leuitatem neque intelligis ista; nec quę ab aliis accepisti cuiusmodi sint, potes discernere. Quid caprimulgum istum literatorē moror? Hæreticum est, & Caluinicum, Salmasi, dogma, dicere damnatos in vlla Synodo Catholica, qui Monachos alio, quàm populum reliquum, cultu ac vestitu esse præciperent. Qui hoc defendunt, hoc est te cum pistrini tui sodalibus, anathematizauit sancta & Apostolica Ecclesia. Caluinistis omnibus anathema; Monachorum ac religiosarum vestium osoribus, irrisoribus, anathema. Noli mirari vltra

ſolitum efferbuiſſe Maſtigophorum noſtrum. Hoc ſacrilegum facinus tuum non loris, non virgis, ſed fulminibus vindicandum fuit.

Explicatur Gangrenſis Synodi Canon, & Euſtathij dogma.

NIhil ergo verius, quàm à Gangrenſibus Patribus ideo condẽnatum Euſtathium, quòd nõ ſolùm aſcetas gregaleſque ſuos περιβολαίῳ ἀσκητικῷ ornatos eſſe vellet, ſed Chriſtianos reliquos damnaret, quorum nonnulli pro ſtatus, ac dignitatis ſuæ conditione exquiſitius veſtiti, ac byrris, & aliis communibus veſtium generibus induti procederent. Βῆρρι, ſiue birri non ſolùm Epiſcoporum proprij fuerunt, ſed etiam τῶν ἐν τέλει, hoc eſt magiſtratuum, & honoratorum vt ex Palladio in Lauſiaca coniici poteſt. Et quamuis byrros in Canone illo demus popularem, & communem eſſe veſtem, nihilò tamen interpretatio ſententiaque tua tolerabilior erit. Imo verò perditæ ac profligatæ dementiæ eſt, quod
P. II. ſolos aſcetas tuos, non autem reliquos Chriſtianos credis Euſtathium ad ſuum compuliſſe pallium. Etenim non quoſdam è Chriſtianis, ac ſelectos; ſed vniuerſos ad inſtitutum ſuum, & ſuperſtitioſum habitum, quãtum erat in ipſo, planus ille cogebat, quatenus qui aliter facerent condemnabat. Docet hoc Epiſtola Synodica Gangrenſium Patrum: videlicet Euſtathium nuptias damnaſ-

se, & qui implicati iis essent, negasse salutem posse consequi. Ob id complures fœminas viris relictis; ac viros spretis vxoribus continentiam esse professos: seruos item à dominis abstractos, ac fugitiuos se ad illorum factionem applicasse. Vides, Salmasi, nullam hîc insaniam esse Κερκοëtij, qui Eustathium dixit, excussa Christianis omnibus communi, & vsitata veste, suum illud περιβόλαιον, pallium suum vniuersis ordinibus Ecclesiæ mandasse. Tu verò contra qui hoc negas, imperitus; qui impiè Synodi mentem accipis, sacrilegus es, & hæreticus.

Salmasii ineptæ obiectioni obuiam itur.

FRustra & hoc ἀπόρῳ nos pulsas. In sequenti Canone, qui est XIII, eadem Gangrensis Synodus de mulierculis edixit, vt quæ ob Eustathianam illam ἄσκησιν muliebrem vestem cum virili mutassent, anathema essent. *An tu censes*, inquis, *omnes omnino mulieres, & non solas ascetrias ad virile pallium ab Eustathio fuisse cõpulsas?* Censeo. Nam haud obscurè Synodica illa testatur, quæ matrimonia ab Eustathio dãnata, & dissoluta fuisse dicit. Si præter ascetas suos, & continentes, Christianorum ordini vlli salutem concessisset Eustathius, cur matrimonia dirimebat? cur continentes esse iubebat omnes? Igitur viros perinde ac mulieres ad asceticum vitæ genus, & pallium Hæreticus iste compulit. P. 12.

Dalmaticas, siue tunicas manicatas, non perpetuò probrosas fuisse.

P. 16. DAlmaticas, id est tunicas istiusmodi manuleatas sub amiculo gestare postremis temporibus haud adeo propudiosum est habitum. Nam & Iulius Cæsar tanto antè manicatas habuit: vt ex eo Tranquilli loco eruditi viri colliguut: in quo scribit illum *lato clauo vsum esse ad manus fimbriato*. Et vt illo adhuc sæculo minus honestæ, ac minus vsitatæ fuerint, certè posterioribus sæculis minus probrosæ fuerunt. Vnde & in Aug. Historia crebra illarum mentio. Ita Gallienus apud Trebellium in Claudio, in Epistola, iubet inter alia munera Claudio dari *singilliones Dalmatenses*. Quare quod obseruas tunicas hasce manuleatas probro habitas, id ad antiquiora tempora pertinet. Quippe Gellius lib. VII. C. III. *Tunicis*, inquit, *vti virum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus, ac prope in digitos, Romæ, atque omni in Latio indecorum fuit*. Fuisse dicit indecorum; non esse. Neque enim si suo tempore adhuc à communi vsu remouerentur, id tanquam singulare notasset Gellius.

Salmasii sycophantia.

P. 17. SCribis me notatos ab Augusto dicere Romanos, quod tunicati essent. Hoc men-

dacium ſycophanticum eſt. Vt oſtenderem abſurdè te putaſſe notatos Imperatores, quod Dalmaticis vterentur, exemplo vſus ſum, quod καθ' ὑπόθεσιν, & fictionem procedit. Nam cùm Romanos ab Auguſto legamus increpitos fuiſſe, quod pullati, id eſt penulis eius coloris induti cernerentur: *fac*, inquam, *notatos quod tunicati procederent*; hoc eſt, finge reprehenſos, quod tunicati, nempe ſolis operti tunicis, ambularent, an ideo tunicarum vſum damnatum colliges? Non igitur dixi reprehenſos ideo; ſed ſi reprehenſi legerentur, non bene colligi tunicas vniuersè probroſas fuiſſe: quod tu de Dalmaticis haud abſimili vanitate concludis. Qui quid ſit, ἐξ ὑποθέσεως ratiocinari non intelligas, nihil in te rationis eſſe, ſatis nos doces.

ANTONII
KERKOETII
AREMORICI.

ELENCHVS CONFVTATIONIS Claudij Salmaſij.

Salmaſii κυνικὴ ἀναίδεια.

MOnui iam te nihil hîc tibi cum Petauio rei eſſe. Quare quid illum pulſas, qui te, tuique ſimiles impetitos ac cerritos valdè non curat. Quandiu & hæreticus, & ex ſacramenti fœdere impudens ac procax eris, ne litera te quidem dignabitur. Satis illum noui. Si proteruiæ tuæ obuiam eundum decreuerit, non ſe ille puerilibus tuis conatibus opponet: ſed aliquem è grege diſcipulorum ſuorum obijciet, quo cum Grammaticus de nominum ac verborum proprietate caprinam pugnam conſeras. Interim quæ partes noſtræ ſunt, tuas in te nugas, mendacia, & calumnias retorquebimus. Neque tamen ſingula odiosè, vt ſoles, refricanda ſunt. Summa tantùm capita, idque ſtrictim, ac ſaltuatim, libabimus.

p. 18. Claudie Salmaſie hæretice & Apoſtata Caluiniſta

uinista (Cur enim Claudie Salmasi nõ dicam, quemadmodũ tu Dionysie Cercoëti? aut cur non Cercoëtie itidẽ scribis, vt Dionysie?) Audi sis igitur Claudie Saumarie, siue sagmarie. Cynicum te secta & morum professione dicit esse Kerκoëtius tuus, hoc est caninæ frontis, & impudentiæ. Inde esse quod adeo sectam illã magni facis, vt Dominum Iesum Cynicum; Apostolos item Cynicos fuisse quouis pignore contendas. Nihil homine Cynico petulantius; nihil procacius fuit. Præ te ipsa petulantia, petulantia non est. Probris ac maledictis, obscœnisque, atque è triuio petitis conuiciis immerentes aspergere meri Cynici est: Tu rabiosi canis more modoque in nos incurrens, nihil nisi *stercora, scarabeos, excrementa, retrimẽta*, & alia id genus desputabilia, ac sordida in ore versas, atque euomis. Extremè impudentem esse germanus est Cynici character: Frons tibi vel nulla est, vel ferrea. Itaque tundenda mihi sæpius est, vt ab ea vel stillam rubri succi, si quis adhuc reliquus est, exprimam. Nam quicquid erat, pene atram in bilem, & furiosum humorem abiit.

Salmasii λυχανθρωπία; *eiusdem inscitiæ portenta.*

REprehensus es à me, quod in ipso Commentationum aditu in viros doctos Tertulliani Interpretes debacchatus his ver-

bis fueris. *In ipso limine magnum peccatum Interpretum deprehendere licet : vt inde iudicium fieri possit, quid ab illis boni tota postea commentatione debeat expectari.* Hæc canina, ἀπάνθρωπα, μισάνθρωπα, λυκάνθρωπα, Cyclopica, fanatica esse, nemo nisi hæc habens in se, quæ dixi, omnia, non iudicat. Quid enim? si in hoc titubauit Interpres aliquis; ideo nihil ab illo boni tota reliqua commentatione speres? Tu quanta, quàm immania peccasti! Qui in tuis Commentariis legerit, Catharos homines fuisse, qui capiti pedules & bracas, pedibus anulos inducerent: Item Senatores Romanos Augusti sæculo caligatos fuisse, cùm hactenus crepidati forent, eo quod Dio referat milites ius dicere volentes Senatum caligatum per ludibrium appellatos: Tum Denarium Romanum, siue drachmam, pondus habuisse quatuor vnciarum. Qui infinita illa παρευρήματα, παρερμηνείας, hallucinationes, ac reliqua portenta iisdem in scriptis tuis perspexerit, nonne iustius ab istis quisquiliis & sordibus nihil nisi inquinatum ac vile sibi pollicebitur? Sed eo reuertamur. Cùm tu igitur meritò propterea castigatus fueris, quod in omnes Interpretes vnius, aut alterius crimen transtulisses; tu in Confut. tua, tres mihi nominas, qui aliter interpretati fuerant, Mercerium taces, qui itidem, vt tu, Tertulliani sententiam acceperat. Et Kerкoetium criminaris, quod vnum tantum lapsum esse dixerit. Hoc mendacium est. Scripsit vnius, aut alterius esse. Tu καθόλου, & ἀορίστως Interpretes vexas: Ne Merce-

Pag. 11.

ro quidem parcis rectè sentienti. Hæc non κακονὴθεια est? Scholion tuum, & ambages interpretationis nihil moror: etiam distinctionem illam, *& à cælo. bene est*; à libris esse dixi. An non ita est? Sane melius est, quam quod scribi iubes, *& à cælo bene est.*

Salmasii furta; reiecta somnia de clauatis Pœnorum vestibus.

Concilium luminis pro *consilio*, legerat ante te Iunius; ac perinde de conciliatu colorum acceperat. Adiecerat & alterum locum ex lib. de Pudicitia. Hæc tu omnia nulla eius, vnde acceperas, mentione facta, in Notas tuas deriuasti. Nego tamen, & pernego meliorem hanc esse lectionem, quàm quæ in principe editione concipitur. Consilium Luminis rectè sum interpretatus. An non in temperando colore consilio & prudentia opus est? Quære ab infectoribus, & baphiariis. Nam clauatas fuisse Pœnorum per illud tempus tunicas, quî probas? Hoc argumento vnico. *Seruorum*, inquit, *& viliorum tunicæ nullam purpuræ micam intextā habuere; tales erant Comicorum seruorum.* Quid tum deinde? An ideo Pœnorum tunicæ clauatæ? Quæ est ista consequentia? Macte esto Dialectico isto acumine. Præterea seruorum vestes solas clauatas non fuisse vnde colligis? Quia Pollux ἐξωμίδα dixit Comicam esse vestem: & esse

P. 24. (margin, beside first line of paragraph)

P. 29. (margin, beside "vnico. Seruorum")

χιτῶνα λευκὸν ἄσημον. Tu ἄσημον iubes nos interpretari, *quæ clauum nullum habeat.* Quid si negem; & *vilem, atque ignobilem* esse dicam? Ita enim Interpres, & rectè. Sic ἐπίσημον ἐσθῆτα, quam Diogenes Laertius Aristotelem induisse refert, insignem, & spectabilem, non *clauatam* esse defendo; quod in Notis ad Aug. Hist. P. 210. ἀκρίτως & imperitè doces.

Salmasii calumnia.

Pa.34. PErgin' obsoletam illam & rancidam lectionem defendere? Quid hoc monstri est; *quadrata instita*? Sed & reliqua perplexa, ἀπέρατα, inextricabilia in expositione tua sunt. Institis caruisse tunicas Carthaginiensium cur negas? Nam planus est vulgatæ sensus, & facilis. Tunicas ait veteres sine vllo cinctu expeditas, & instita, siuè lata fascia quadratas fuisse. Nam *expedita*, & *quadrata* rectè Iunius. Porro cùm tunica perinde virorum ac mulierum vestitus esset; hoc priuatim habebant viri, vt pallio vterentur, non mulieres. Hæc sententia & Tertulliani, & nostrorum verborum fuit: quam tu nimis pueriliter, & affectatè ridiculum in modum deformare studes; & Salmasianos scilicet sales aspergis. Est enim Salmasius homo ad vrbanitatem & facetias factus.

Tunicati Carthaginienses interdum, & palliati: deque eo imperita hæsitatio Salmasii, eiusdemque sycophantia.

ITa me Deus amet, vt quid tibi in pleraque Scriptorum tuorum balbutie velis, diuinare nequeo. Minimè omnium eo in capite; quo de tunicatis Carthaginiēsibus ambiguè obscuréque nugaris. Quæsitum erat abs te in Notis Tertullianeis, cur tunicata Carthaginiensium iuuentus ab Ennio dicta sit, & à Plauto tunicatus Hanno Carthaginiensis: cùm alioqui pallium constet ex Tertulliano proprium illorum amictum fuisse. Hoc quia extricare non poteras, operam tibi suam nauauit Kerkoëtius, admonuitque, tunicatos dici Pœnos, non quod perpetuò in sola tunica essent; sed quod ita interdum apparerent. Siquidem ibi, vbi honestè esse vellent, iis, inquam, locis, & temporibus, quibus ex vsu, & consuetudine, sine amiculo, quodcumque demum iniiceretur, esse non decebat, præter tunicas id habebant: aliâs vbi indecorum non erat, cum solis tunicis procedebant. Difficile est temporum ac locorum opportunitates illas concipere; quod popularis Carthaginiensium vsus ignotus sit; neque ad hodiernum Gallorum ritum exigi debeat. Quare satis imperitè & odiosè μικρολογεῖς, & argutaris more tuo. Sanè peregrè cùm ibant, plerumque tunicatos fuisse vel Hanno ille te docere potuit. Quid? An non hodie viri

honeſti, quibus certis in locis, ac publicis a-ctionibus, ſine forenſi toga verſari nefas eſt, cùm extra Vrbem pedibus ambulant, tunicati ſpatiantur, & eorum pallia ponè ſecutor aliquis geſtat? quod & in longiori itinere vſuuenit. Et miraris Carthaginienſem hominem tunicatum incedere? At ridiculè facis; imò inſcitè, & abſurdè. Pœnos iam tum olim ſuper tunicas iniecіſſe pallia; poſtea etiam togas, docet Tertullianus. At iidem in itinere, & peregrè tunicati; vt Hanno ille perſuadet. Verum eſt ergo nonnunquam & pallia ſumpſiſſe Pœnos, & ſine palliis fuiſſe. Falſum, tunicatos ita vocari, vt nihil vnquam præter tunicas veſtierint. Quid ſi & barbari licētiùs quàm Græci tunicati proceſſerint? Vtrum publicè domi, extra forenſes conuentus, quod noſtra illa verba referunt, *publicè in foro, in Senatu*, ſine tunicis conſpecti ſint, neque pronunciaui, neque diuinare attinet. Hoc ſatis habui, aliquādo & palliatos, & tunicatos fuiſſe. Et mentiris ſcilicet, ſcripſiſſe me, *palliatos ſemper prodiiſſe*. Nuſquam ita *ſemper* prodiiſſe dixi. In quo etiam feſtiuus eſſe ſtudes hoc collectionis acumine: Si nunquam apud ſuos in publico tunicati cō-ſpiciebantur; quî tandem tunicati terrarum orbem peragrabant? Hoc friuolum eſt. Quis tibi dixit; nunquam in publico tunicatos eſſe conſpectos? Scripſi enim id publicè in foro, ac Senatu contigiſſe, non vbique publicè. Sed eſto. Ciues noſtri nonne ſæpius eadem veſte domi vtuntur, in qua longinquum iter faciunt, cùm, vt expeditius ambulent, pallium ſuum

aut pediſſequo tradunt, aut in equo, vel vehiculo relinquunt? *Quidni*, inquis, *cœnatoriis indutı*? Fatua percontatio. Vnde ſcis Carthaginienſes cœnatorias veſtes habuiſſe? Deinde ſi tibi ad eum modum inſtem: Quidni ciues illi noſtrates honeſti cum mantelibus, vel mappis iter faciant, quando non alia veſte, quàm ea, in qua domi ſunt, ambulant, num ſanus tibi videbor? Et te nobis videri putas, qui tam ſtolidè nos interroges? Sed nec illud, quod affingis, à me profectum, Carthaginienſibus eandem fuiſſe cum domeſtica viatoriam veſtem. Hoc tantùm docui, in itinere tunicatos fuiſſe, non vt penulam, aut aliquod aliud viatorium veſtimenti genus haberent nullũ; ſed quòd æſtus leuandi gratià, vel aliis de cauſſis ad tempus ponerent. Sic Hanno ille Carthaginienſis penulam habere potuit; ſine qua tum repertus fingitur. Sed neque domi neceſſe eſt tunicatos perpetuò fuiſſe: Nam & hodieque ſuper tunicam honeſtiores plerumque domi lænam, quam vocant, domeſticam, iniiciunt; alias tunicati ſunt. Quis tuam in iſtis nugis contentionem, ac περιεργίαν non rideat?

Romani ciues vbi, & quando tunicati, & in eo Salmaſii error.

ROmanos etiam tenuiores negas tunicatos vnquam in publico, in foro conſpectos fuiſſe. Ergo ne in municipiis, in coloniis, P. 39.

nullum erat publicum, forum nullum, vbi Romanos ciues ſolis tunicis magna temporis parte contentos fuiſſe non ignoras? Vnde & *tunicata quies* à Martiali de vita municipali dicitur. Nunquamne illos ipſos, qui in municipiis degebant, Romanos ciues arbitraris togam induiſſe? Non eſt veriſimile. Nam publicæ quædam functiones honeſtè abſque toga, aut alio quodam amiculo, obiri non poterant. Itaque καθ' ὑπερβολὴν de iſtiuſmodi dixit Iuuenalis:

Nemo togam ſumit niſi mortuus.

Quanquam vt ἀκριβῶς id eſſe verum putemus, ſaltem tota Italia id fuiſſe conſuetudinis, ex eo colligi non poteſt: cùm in parte magna duntaxat Italiæ morem illum extitiſſe Satyricus iſte doceat. Quocirca Romani ciues alicubi tunicati erant; ita nihilominus vt interdum togam amicirent. Hoc mihi ſatis ad Carthaginienſium exemplum fuit. Quod verò etiam in Vrbe plebs tunicata fuerit, non tantùm infimè ſordida, ſed & paulò viliſſimis iſtis beatior, adeoque in officiis, & aliâs denique togata, equidem non dubito; neque tu, qui ſecus pronuncias, authoritate vlla Veterum, aut ratione niteris: ſed opinione ſola, quæ abs te profecta, hoc ipſo leuiſſima eſt, & vel falſa, vel falſæ proxima.

Ker-

Kerkoetius à Salmasii calumnia defensus. Tertulliani cum Plauto conciliatio declarata.

ALtera dubitatio tua quî tandem Tertullianum inter & Plautum cõueniret; quorum ille tunicas Carthaginiensibus breues ac substrictas; iste longiores, & ad talos vsque demissas attribuit. Duplex ad id in Animaduersis nostris excogitata ratio : quarum priorem pessimè accepisti ; nec tam id tua fortasse culpa , quàm breuitate factum orationis; quæ & alioquin operarum hallucinatione mẽdosa est, vti mox constabit. Eam tibi planè ac dilucidè proponam. Quod igitur Tertullianus Carthaginiensium tunicas adeo breues Operis initio fuisse dicit , vt trans crura prodigè non descenderent, hoc ad antiquissima tempora pertinere docui, antequam vllam cum Romanis consuetudinem haberent ; ac cum solo pallio vtebantur. Quod verò Plautus demissitias , & longiores easdem illas tunicas inducit, si quidem talares , vt facis , intelligas , hoc ad inferius æuum retuli; quo cum Romanis, Romanóque cultu commercium habere cœperunt : nempe post secundum saltem Punicum bellum. Tum enim credibile est, etsi nondum omnes , certè aliquos ex Pœnis togam imitatos esse. Quod ipsum Vticensium Pœnorum exemplo confirmaui. Nam illi hactenus palliati, post secundum Punicum bellum publicè

togam induerunt ; quod aliquot annis ante Scipionis aduentum, atque adeo tertium Punicum bellum contigisse probabile est ; vt Marsilius meritò suspicatur. Scribit enim Florus Epitome Lib. XLIX. anno Vrbis DCI, quo Punicum bellum tertium cœpit, Vticenses legatis Romam missis, se suáque omnia dedidisse. Ex illo tempore coniicimus Vticenses Carthaginiensium vicinos publicè omnes togatos fuisse. Quemadmodum igitur Vticenses, qui antea palliati fuerunt, togam publicè sumpserunt : ita Carthaginenses, antequam Romanos penitus nossent, palliati fuerunt; postea illorum exemplo, & consuetudine togæ paulatim assueuerunt, non tamen, quemadmodum Vticenses, publicè, sed quidam duntaxat ex illis. Nam togati omnes multis post Vticenses annis esse cœperunt, nimirum quando instaurata Carthago Romanorũ facta colonia est. At Vtica etiam antequã municipiũ, aut colonia esset suo id arbitratu, & quidẽ publicè, fecerat, vt Tertullianus indicat. Bellum Punicum secundũ confectũ est, anno ab Vrbe condita DLIII, annis ante Plauti mortem duodeuiginti. Mortuus est enim Comicus ille P. Claudio, & L. Porcio Coss. qui est annus DLXX. Hoc interuallo, & fortè etiam antea, togæ vsus paulatim Carthagine, & in Africa obtinere cœpit : quando & longiores fecere tunicas iidem illi, qui togam vsurpabant. Harum tunicarum longitudinem etiam illi, qui togam non sumebant, pedetentim imitati sunt, vt in felici, & opulenta ciuitate fieri so-

let. Hanc probabilem esse coniecturam Tertulliani locus, quem ideo protuli, validissimè confirmat. Scribit ille Pœnos ex eo tempore, quo togati esse cœperunt, tunicas habuisse lõgiores, cùm antea breues induerent. Atqui longè ante instauratam Carthaginem; ímò interuallo illo, quod inter secundum, & tertium Punicum bellum intercessit, longiores Pœnis tunicas fuisse Plauti authoritas persuadet. Sequitur iam tum illo tempore Pœnos togæ vsum asciuisse. At verò nondum id publicè, & vniuersos fecisse Tertullianus affirmat: Igitur verisimile est id nonnullos saltem ex illis factitasse, & eosdem tunicas produxisse; tum eorum imitatione reliquos, qui palliati nihilominus fuerunt. Hæc nostra coniectura ex Plauti & Tertulliani comparatione necessaria consecutione deducitur: quam quia non vidisti, pugnare inter se ambos illos perperam iudicasti. Ac vide quid inter temeritatem tuam, & opinionem nostram intersit: tu quia ex authore nullo alio constabat, ecquod amiculum tunicæ superiniicerent Pœni, Tertulliani fidem in dubium vocasti: ego cùm hinc Plautus longiores ætate sua, &, vt vis, talares Carthaginiensium tunicas fuisse doceret; Tertullianus inde, quandiu pallio vsi sunt, breues habuisse diceret, vtrumque ita conciliaui, vt Tertullianus de vetere illa ætate loqueretur, quâ nondum togam nouerant; Plautus de citeriori, qua nonnulli saltem Pœnorum togam adsciuerant. Hæc coniectura, nisi alterum Scriptorum mentitum esse velimus, non solùm

probabilis, ſed etiam neceſſaria eſt. Atenim Tertullianus togam non ante tempus Auguſti receptam apud Carthaginienſes aſſerit. De ea togæ vſurpatione loquitur, quæ publicè, & ab omnibus, & cum iure aliquo Romanæ ciuitatis, hoc eſt coloniæ, ucta fuit; non de ea, quæ ſolo priuatorum arbitrio, ſine iure vllo ciuitatis, contigit. Hac ratione conciliari Plautus, ſi talares tunicas facit, & Tertullianus inuicem poſſunt; aliâ non poſſunt. Tu improbè ac malitiosè ſic opinionem interpretatus es noſtram; quaſi antiquiſſima illa tempora ad ætatem Auguſti referremus: ex quo illud ἀσύγκλωςον ſequitur, Plautum Auguſti æuo recentiorem fuiſſe. Non vel extrema hæc abſurditatis ſpecies admonere te poterat, vt vel obſcurius ſaltem conceptum eſſe locum, vel etiam mutilum putares? Hæc enim: *Monet ecce Tertullianus ante appulſum Scipionis pallio vſos eſſe: ſub eius aduentum ad togam ſe contuliſſe*, de Carthaginienſibus intelligi nequeunt. Neque enim hoc de illis Tertullianus affirmat; ſed de Vticenſibus. Proinde ita ſcribēdū erat: *Monet ecce Tertullianus ante appulsū Scipionē pallio Vticenſes vſos eſſe*. Quod in exemplum attuli, vt ex conſuetudine Romanorum togæ vſum Carthaginem influxiſſe monſtrarem. Item illud: *Poſtea cum luxu & tunicas etiam longiores adſciuere*, non *togas*, legendum eſſe, nemo niſi cæcus non videt, niſi improbus non agnoſcit. Ideo poſtrema iſta ſic concluſimus: Pœnum illum Plautinum eo tempore inductum in Scenam, *quo ad Carthaginienſes toga peruenerat*. Perueniſſe

togam ad Carthaginienses non est publicè ab omnibus admissam esse, quod longè posterius est; sed ab aliquibus duntaxat. Si quid in te hominis foret, quæ nostra esset opinio prius intelligeres, quàm adeo stolidè ac pueriliter insultares, presertim cùm illud editionis nostræ ἐναντιοφανὲς postea sublatum sit, & in quibusdam exemplaribus ad eum, quem exposui, sensum verba nostra concepta sint. Dices illud de toga à Carthaginiensibus tanto ante tempore sumpta, nullo vetustatis testimonio niti. Fateor. Sed Vticensium primùm exemplo firmatur. Tum, quod ad institutum satis est, ex Tertulliani verbis directè, ac necessariò sequitur. Aut igitur Tertullianus ex mente tua loquens falsus est, aut vera sunt, quæ dixi.

Altera, & probabilior Tertullianei loci cum Plauto concordia tentatur.

Οἶδα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι. Libet igitur aliam tibi coniecturam nostrã exponere, quæ ad dissidium illud pacandum multò mihi visa est aptior. Tertullianus tùm, cùm breues fuere Carthaginiensium tunicæ, infra genua ad vsque crura productas esse scribit: Plautus tunicas longas, & demissitias vocat. Hoc ἐναντιοφανὲς explicatu facile est. Romani (quorum vsui etiam in palliatis comœdiis seruire Plautus in quibusdam solet) tunicas adeo breues olim habuere, vt citra hu-

merum desinerent. De iis Gellius lib. VII, cap. III. *Viri autem Romani primò quidem sine tunicis, toga sola amicti fuerunt: postea substrictas, & breues tunicas citra humerum desinentes habebant: quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας.* Cum hac breuitate tunicæ, si Carthaginiensium mensura conferatur, longissima, & demissitia vocari potuit: atque ideo tanquam insolens à Comico scurra notatur. Ob eandem caussam *tunicata iuuentus* Carthaginiensium ab Ennio dicta, quod & multò longiores, quàm Romani, tunicas haberent, & prætereà manuleatas, vt ibidem testatur Gellius. Hæc facillima est, & optima conciliandi ratio, quam & priori anteponimus nostræ, & ratam esse volumus; vt & à Kerkoëtio tuo doctior interim recedas; & tuã inscitiam, leuitatemque cognoscas. Vnum est, quod abs te contrà obiici video; Græcam P. 42. Comœdiam esse Plauti Pœnulum. Quasi non Græcis illis Comœdiis Plautus interim aliquid inserat, quod Romanæ consuetudinis, aut Italiæ peculiare sit. Sic in Amphitruone, quæ Thebis agitur, Sosia seruus malum sibi à Treuiris metuit.

Quid faciam nunc, si Tresuiri me in carcerem compegerint?

Sine dubio Triumuiros capitales, Romanum magistratum intelligit, qui & carceris custodiam habebant, & de vilibus & abiectis homuncionibus, vt de furibus, & seruis nequam ius dicebant. Plautus idem in Captiuis Græco nihilominus dramate, Actu IV. Ergasilum Parasitum ita deierantem introducit; *νὴ*

τὰν Σόρᾳν : *per Soram* ; quæ vrbs eſt Campaniæ. νὴ τὰν Πραινέςην : *per Praneſten*. νὴ τὰν Σιγνίαν : per Signiam : νὴ τὰν Φρυσινῶνα, *Fruſinonem* : νὴ τὸ Αλάτριον. Sic in Truculento ; vbi res Athenis geritur, hoc merè Latinum aſperſit.

Perij, rabonem? quam eſſe dicam hanc beluam?
Qui nunc arrabonem dicis? St. ar facio lucri.
Vt Praneſtinis conia eſt ciconia.

Sic in Curculione celebriora Romanę Vrbis loca commemorat. Haud eſt igitur abſurdum, etiam in palliata fabula Pœnum irrideri, quod tunicam alioqui moderatam, Romanis tamen multò productiorem haberet. Nihil eſt quod poſteriori huic interpretationi officiat : in qua nos acquieſcimus. Nam aduerſus priorem id occurrit ; non ſatis conciliari cum Plauto Tertullianum, eo quòd ille Pœnum ſine zona tunicatum inducit ; hic, ex quo longiores cum toga tunicas aſciuerunt, cinctu illas ſuſpendiſſe ſcribit. Etſi ita reſponderi poteſt ; Tertullianum zonæ vſum illum ad citima tempora reſtringere, quando Carthago in ius coloniæ conceſſit, adeoque publicè togam admiſit ; quod ad antiquiora minimè referendum eſt ; cùm nondum publicè togæ vſus receptus fuerat. Sed nos poſteriorem vtriuſque conciliationem multò magis amplectimur.

Salmasii hallucinatio, & opinio falsissima. Chlamys Macedonica ab anteriori parte aperta.

ENimuerò ſtolidè peruicax es; & in tuendis manifeſtiſſimis erroribus & ingenio, & patientia lectoris abuteris. Quot pręſtigiis & captionibus ludificari ac turpiſſimæ hallucinationi tuæ fucum conaris obducere! Quare ex ſimplici & condonabili fortaſſe noxa facinus ac flagitium feciſti. Agnoſce quot ineptiarum portenta Grammatico illo tuo artificio procudiſti, ne inſcitiam agnoſceres.

Scripſeras in Notis ad Pallium pag. 56. & deinceps, hoc inter quadratas, & rotundas veſtes eſſe diſcrimen; quod *quadratæ ab ſummo ad imum apertæ eſſent; vnde quatuor angulos habuiſſe neceſſe eſt: cuiuſmodi fuere pallia Græcorum, ſaga militum, & paludamenta Imperatorum*. Rotundæ verò veſtes erant, *quæ circa imas oras apertæ non erant; ſed vndique concluſæ, & commiſſæ*. Ad hæc ſola quadrata veſtimenta dicis pag. 59. fibulis vel in humero, vel in pectore adſtricta, & aperta fuiſſe. Abſurditas definitionis illius in chlamyde clarius luce ipſa conuincitur. Etenim chlamys κυκλοτερής, & rotunda fuit; & eadem nihilominus non clauſa fuit, ſed aperta. Senſit hoc argumento Salmaſius iugulum peti falſæ illius opinationis. Itaque primo aſpectu cohorruit. Sed quò ſe verteret

teret non habebat. Neque enim retractare poterat. Ergo cùm ſe in omnem partem intendiſſet, tandem ioculare illud effugium commentus eſt, chlamydem Macedonicam ab anteriori parte corporis clauſam, itidem ac togam Romanam, fuiſſe. Hæc eſt ſumma defenſionis, ac longæ illius & moroſæ diſputationis, quam cum tribus verbis explicare poſſet, enecare nos odio & loquacitate maluit. Hanc συκίνην ἐπικουρίαν temeritati tuæ non bellam, neque opportunam, Salmaſi, comparaſti. Quem noſtrûm adeo ſtupidum arbitraris, quin ſtatim intelligat; hoc te non bona fide, neque quod ita ſentias, ſed vt errorem quoquo modo contegas, de chlamyde Macedonica finxiſſe? Itaque poſteà, cùm de re veſtiaria ſcribes, non adeo famæ tuæ ſecurus eris, vt docere illud audeas: MACEDONICAM CHLAMYDEM AB ANTERIORI CORPORIS PARTE CLAVSAM FVISSE, ITIDEM VT ROMANAM TOGAM. P. 52. Scito neminem fore, qui cùm hoc apud te legerit, non irrideat; teque tam facili in re adeo imperitum eſſe non obſtupeſcat. Quid enim? Tu chlamydem Macedonicam ab anteriori parte dicis vndique clauſam fuiſſe? Atqui falſiſſimum iſtud eſt. Plutarchus de Alexandro, qui in Darij corpus chlamydem ſuam iniecit: τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα λύσας ἐπέβαλε τῷ σώματι, καὶ περιέστειλεν. *Chlamydem ſuam ſoluens mortuo iniecit.* λῦσαι τὴν χλαμύδα, *chlamydem ſoluiſſe* cùm dicit, nonne ſignificat ἐφαπτὸν fuiſſe veſtimenti genus, quod ad humeros nodo aliquo colligebatur? Nam aliud eſt δυτὸν, aliud ἐφαπτὸν

genus, vt docet Eustathius. Huic ergo, quod est ἀνάπτον, respondet τὸ λῦσαι. Isidorus lib. xix. Cap. xxiv. de chlamyde loquitur, & quidem Græca ac Macedonica, non de Romano paludamento, de quo separatim eodem capite postea. Scribit autem: *Chlamys est quæ ex vna parte induitur; neque consuitur, sed fibula infrænatur.* Sed & Ammonius de chlamyde generatim loquitur, cùm inter χλαῖναν, & χλαμύδα duplex discrimen notat: Alterum quod χλαῖνα sit ἡρωϊκὸν φόρημα, chlamys verò Macedonicum. Itaque læna antiquior est. Alterum discrimen, quod læna quadrangula sit, chlamys rotunda. De chlamydis genere ipso loquitur; cuius forma à Macedonibus originem habuit. Inde in cæteros transfusa. Et quamuis nonnihil varietatis ac differentiæ fuerit: commune tamen omnibus fuit χλαμυδοειδὲς σχῆμα, & rotunda ac circinata ad imum effigies, cum apertura ad anteriorem corporis partem: ita vt nodo vel fibula ad humeros astringeretur. Sed enim Romanam chlamydem Macedonicæ haud multum fuisse dissimilem, persuadet illud, quod Appianus libro de Bello Mithridatico prodidit, Pompeium in triumpho Alexandri Magni chlamydem induisse. χλαμύδα ἔχων, ὥς φασιν, Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, quam in Mithridatis supellectili repererat.

Ostenditur idem de chlamyde aliquot exemplis.

IDipſum etiam exemplo terræ habitabilis oſtendimus, cuius σχῆμα χλαμυδοειδὲς Strabo conſtituit, & Macrobius. Atqui figura ipſa, cuiuſmodi à Strabone pingitur, non abſolutum orbem efficit; vti nec Alexandrinæ vrbis area, quam Dinocrates metatus eſt. Contra hæc prima tua eſt exceptio; Strabonem de Macedonica chlamyde non loqui. P. 55.
Non melius cauſſam noſtram agere contra te poſſum, quàm tu hac tergiuerſatione feciſti. Demus Macedonicam non eſſe; quoniam, vt vis, Macedonica circunclusa erat. Fuit ergo χλαμὺς iſta eius generis, quod tu μανδυοειδὲς, & apertũ cõſtituis. At iſtud ipſum σχῆμα χλαμυδοειδὲς habitabilis terræ, circinatę rotunditatis fuit, vt ex Strabone, Ptolemæo, ac veteribus apud illos terræ picturis liquet. Proinde etiam aliquid in altero genere, quod apertũ, & σχιστὸν fuit, κυπλοτερὲς & rotundum, non quadratum extitit. Si quadratam habitabilis terræ figuram à Strabone & Macrobio conſtitutam diceres, quis non rideret? Atqui ridiculum hoc abs te committitur. Nam ſi chlamys illa, cuius effigie ἡ οἰκουμένη deſcribitur, quadrangula eſt, ex definitione tua, conſequens eſt τῆς οἰκουμένης figuram τετράγωνον ac quadratam fuiſſe.

Salmasii ridicula, ἀσύςατα, & barbara multa.

ALterum excipis, quod tam impeditè, & obſcurè à te declaratur, vt pro certo habeam, neque te intellexiſſe quæ ſcribebas, neque cæteri vti intelligerent curaſſe: imò vt à nemine capi poſſent, id magnoperè ſtuduiſſe. *Demus*, inquis, *Strabonem de chlamyde Macedonica loqui. de expanſa vtique loquitur.* Rem tenes. *At quadrati, & rotundi amictus forma conſideranda tantùm eſt, cum geſtatur, & habetur.* Quid garris? Si rotundum eſt veſtimentum, quod vndique concluſum eſt, vt puta toga; quadratum quod apertum eſt; rotundum nihilominus erit cùm ponetur; aut quadratum. An geſtatio ipſa facit apertum, aut clauſum, quod non eſt ex ſeſe? Gerræ meræ. *Pallium*, inquis, *iſtud, quod vulgò gerimus, ante apertum eſt, & quadrangulum eſt, dum geſtatur. idem ſi expandatur in orbem, perfectæ rotunditatis eſſe reperietur, & abſolutum perficiet circulum.* Quis tuam mentem ac ſenſum capiat? Quorſum iſta porro? Ex illa neſcio qua verborum balbutie & comparatione ſequitur chlamydem Macedonicam antè apertam & quadrangulam fuiſſe; expanſam verò perfectè rotundam. At illud & falſum eſt, & à te refellitur. Quo tua igitur hæc ſimilitudo ſpectat? Potin' humano more loqui? *τὰ κάτω*, ſubijcis, *& τὰ ἄνω in chla-*

myde non considerantur, nisi amiciatur, & homini imposita sit. extensa quippe, & in solo expansa non amplius habet τὰ ἄνω & τὰ κάτω, sed orbe gyrato laciniosa expanditur. Ridiculè. Vbi est, quod aiebas, chlamydem Macedonicam circunclusam fuisse? Si tunicam aut togam extenderes, vtrum per tuam fidem, Salmasi, superiores, & inferiores partes non discerneres? aut supremam, in qua est βρογχωτὴς, qua ceruix inditur, ad crura; infimam, vbi fimbriæ sunt ad caput inijceres? Quî minus id in te faceres, quàm in Catharis tuis, quorum capita bracis, pedes anulis ornasti? Igitur in chlamyde, siue iniecta corpori, siue expansa, τὰ ἄνω καὶ τὰ κάτω nemo, qui oculis, aut cerebro non careret, non distinxit. In pallio nostro, cùm super humum expanditur, credo, τὰ ἄνω, καὶ τὰ κάτω à se inuicem non differunt. Ad extremum; chlamys Macedonica humi extenta speciem habebat οἰκουμένης, & habitabilis terræ, qualem Veteres agnouerunt. Hanc habere non potuit, nisi tota, quanta quanta est, porrigeretur. Porrigi autem ad hunc modum nequibat, nisi ab anteriori parte diffissa, & σχιστὴ foret. Hic communis sensus, hęc chlamydis notio est. Nemo, qui quid sit chlamys nouerit, aliter sentiat. Dicam amplius, tu ita ipse doces, ac fœdissimè tibi contradicis, quod ecce palam ostendo.

Salmasii fœdissima ἐναντιολογία. Chlamys & ab anteriori parte aperta, & rotunda fuit.

CONtra ea, quæ de Macedonica tibi chlamyde in Animaduersis opposui, quam & rotundam, & σχιστὴν nihilominus fuisse probaueram; Macedonicam pertendis chlamydem rotundam quidem extitisse, sed non σχιστὴν, & apertam; sed togæ instar vndique clausam: Chlamydes verò alias, vtputa Romanam, quæ μανδυοειδεῖς erant, hoc est pallij specie, fibula stringi solitas, & apertas, atque iccirco quadratas censeri; Tum pag. 58. Romanam dicis chlamydem planè fuisse μανδύλην, quod Glossarij authoritate firmas; apud quod ita legitur: *paludamentum* χλαμὺς, μαντίον. *Chlamys itaque illa* μανδυοειδὴς *fuit, & reapse* μανδύας, *siue* μαντίον. *omnia porrò* μαντία, *&* μανδυοειδῆ, *& fibulata fuisse, & aperta, ac proinde quadrata, ex iis, quæ diximus, iam potest constare.* Quid si modò planum faciam te idem illud chlamydis genus, quod μανδυοειδὴς, & μαντίον appellas, quodque à Glossario significari putas, rotundum esse dixisse, non quadratum, vel quadrangulum? Satin' & leuitatem inscitiamque tuam conuicero, & id, de quo inter nos pugnatur, confecero, vestes illas, quæ, pallij instar, antè sunt apertæ, rotundas posse esse, non quadratas? In Notis ad Historiam Aug. Trebellij Pollionis, Claudio,

pag. 334, vbi quid ſint *ſagochlamydes*, explicas, iſta ſcribis. *Inter ſagum, & chlamydem hanc puto differentiam fuiſſe, quod ad formam attinet, quam doctiſsimi, quique Græcorum inter* χλαῖναν, *&* χλαμύδα *conſtituunt.* Subijcis Ammonij locum. Inde, *ſagochlamys*, inquis, *igitur ex vtroque compoſitum, ſago, & chlamyde, vel ad vtriuſque formam factum, & aliquid habens ex vtroque veſtimento.* Mox vt neſciremus quo de genere chlamydis loquereris, cùm diceres ſagochlamydem ex ſago quadrato, & chlamyde rotunda compoſitam fuiſſe, ſubdis: *non diuerſum fuiſſe videtur genus illud veſtis, quod* σαγομάντιον *Græci recentiores vocarunt. nam* μαντίον *pro chlamyde dixerunt.* Itaque tu chlamydem eam intelligis, quæ μαντίον, hoc eſt pallium dicitur, eſtque μανδυοειδὴς, & aperta. Pergis: *Gloſſæ;* paludamentum, χλαμὺς, μαντίον. *de ſagomantio Suidas in Etymologico: vbi interpretatur* χλαμύδα τὸ περιφερὲς τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγόμενον σαγομάντιον, ὅπερ φοροῦσιν οἱ κηροφόροι, &c. *non dubium eſt idem eſſe* σαγομάντιον, & σαγοχλάμυδα, ET APPARET ROTVNDVM FVISSE, VT CHLAMYS, NON QVADRATVM, VT SAGVM. Ex iis euidentiſſima eſt tua tecum diſcordia, ac deſultoria iudiciorum, opinionumque leuitas. Quippe ſagochlamydem ex ſago & chlamyde compoſitum quoddam genus eſſe veſtimenti doces; ex ſago, inquam, quadrato, & chlamyde rotunda. Chlamydem cùm dicis, eam vis eſſe, quæ ſit μανδυοειδὴς, ſiue μαντίον, & paludamentum. Quare hanc ipſam chlamydem, & μαντίον, & paludamentum aperta facis. Hoc

enim Grammaticæ tuæ Præturæ edictum est pag. 58 Confutationis: OMNIA PORRO μαν-τία, & μανδυοειδῆ, ET FIBVLATA FVISSE, ET APERTA, AC PROINDE QVADRATA. Quocirca chlamys illa, à qua sagochlamys vocatur, & aperta, & fibulata fuit; & tamen rotunda, vt in Notis Historicis censes; vt autem in altero Confutationis decreto scribis, quadrata. Quare ex tua doctrina necessariò consequitur, *Chlamydem illam, quæ paludamentum & μαντίον erat, apertam, & fibulatam, & nihilo secius rotundam extitisse, & eius generis esse, cuius Ammonius meminit, cùm dicit, εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆχθαι. Tùm eandem & quadratam & rotundam fuisse vestem.*

Pessimè igitur, & stupidissimè doces in Pag. Confut. 59. μανδυοειδεῖς, & μανδύας *illas solas dictas esse chlamydes, quæ quadratæ erant, & fibulis stringebantur*: cùm tu in Notis Historicis chlamydem, quæ μανδυοειδὴς, & μαντίον erat, rotundam fuisse velis, non quadratam. Quicquid nugarum & offutiarum Grammaticarum obduxeris hallucinationi tam crassæ, tam asininæ; quamlibet multas paginas vocabulariis, & solitis ineptiis impleueris, nunquam efficies, vt nõ absurdissimè videaris, asserere; chlamydem eandem, quæ sit μανδυοειδής, vestem esse rotundam, & non esse; quadratam esse vestem, & non esse.

Ammonij locus explicatur contra falsam Salmasii sententiam. Rotunda vestis cur dicatur. Salmasii paralogismus.

QVadratæ itaque vestes, siue τετράγωνοι sūt quæ angulos habent, quarum videlicet extrema in acutum pinnámque desinunt. Eædem verò & apertæ sunt in anteriori parte, aut ad latera. Neque enim quadratæ omnes antè erant apertæ, quòd tu perperam censes. At rotundæ duûm erant generum. Quædam circunclusæ, neque fissæ, eædémque δυτοὶ; vt cyclas; vt toga: Aliæ ab anteriori apertæ corporis parte, quarum ora circinata rotunditate sine angulis, aut pinnis excurrebat: cuiusmodi chlamys Macedonica, Paludamentum Romanum, & pallia nonnulla fuerunt.

Ammonius de chlamyde loquens hoc à læna differre censet ex Didymo, quod hæc quadrangula sit, chlamys verò περὶ τὰ κάτω συνῆχθαι, id est in orbem sinuatur: συνάγειν est contrahere, συνάγεσθαι est συννεύειν, quod de circulari & rotunda forma dicitur, cuius partes in se vergunt. Iam in quadrangulis vestibus τὰ κάτω, id est ora extrema, in pinnas & acumina procurrunt. At in χλαμυδοειδεῖ, & rotunda specie eadem ora ad eam partem, vbi acumina illa πτερύγων esse debebant, συνάγεται, id est contrahitur & inclinatur, ac συννεύει. Hæc est deuexitas, siue curuitas, inclinatioque circularis

lineæ: quam quòd non intelligere te fateris, soli illi mirari possunt, qui te non nouerunt. Quid restat, quam vt in illo Ammonij loco stultiuidum te fatearis, neque te quicquam sapere corde, neque oculis vti? Nam quod chlamys Macedonica circulum περὶ τὰ κάτω non absoluerit, hoc est circunclusa non fuerit; & alibi ipse docuisti, & certissimis argumentis euicimus. Proinde aliud erat συνῆχθαι περὶ τὰ κάτω, quàm quod somniabas. Ostende iam aliter, quam, vt à nobis explicatur, accipi posse: sanè viceris.

Ex hac rotundæ, quadratæque descriptione vestis, paralogismi omnes tui, & absurdæ collectiones funditus corruunt. De Cyclade primùm ita pueriliter argutaris. Cyclas & rotunda vestis fuit, & vndique clausa. Ergo rotunda vestis omnis clausa. Apage sis, & in ludum
Pa.50. te Dialecticum aliquot annos include. Nam
51. miserè ratiocinaris. Quanquam ne sic quidem fortasse profeceris. A Dialecticis enim ratiocinandi peritiam auferre soli illi possunt, quibus nonnulla ratio suppetit. Tu vtrùm aliquãdo ratione sis vsus, viderint qui te à puero norunt. Ex quo quidem in artes istas irrupisti, nullum in te vestigium humanæ mentis, aut communis sensus apparuit.

Stupida Salmasii ratiocinatio.

EPiphanij locum ex Hæresi xv quàm ineptè ceperis postea demonstrabitur. Interim illud expedi: quomodo quatuor in Scribarum palliis πτερύγια, siue anguli fuerint, è quibus punica illa mala penderent, si Græcorum, vt nugaris, eadem quæ Iudæorum erant pallia. Nam de κρασπέδοις, & ima parte vestis loquitur, in qua duæ tantùm erant πτέρυγες. Quippe ῥοΐσκοι non ad humeros, vbi duo reliqui palliorum erant anguli, sed ad pedes suspensi erant. Quomodo ergo quatuor πτερύγια numerat? Sed de ea re sub libri finem. Iam illud ex nostra rotundarum & quadratarum descriptione vestium constat; non omnes, quæ erant apertæ, pinnas illas acutas habuisse; sed quasdam in orbem decircinatas fuisse, vti chlamydem. Quocirca bruta est argumentatio tua: Nulla vestis, nisi quæ aperta esset, eiusmodi πτερύγια habuit, & nulla, nisi quæ hos angulos haberet, quadrangula fuit. Hoc tibi vltrò concedimus. Quid autem ex eo sequitur? Nullásne rotundas antè apertas fuisse? Non procedit argumentum. Pallium aliud quadratum fuit, & angulosum, aliud circinatum & rotundum. Tam hoc quàm illud σχιστὸν, & apertum. Hic murus aheneus esto; ad quem vacuum caput tuum illisum crepabit, ac dissiliet. Frustra itaque πτερυγίζεις, καὶ φλυαρεῖς.

Eadem in Dialecticis infantia traducitur.

EN alterum extremæ in Dialecticis imperitiæ ſpecimen. Vt Romanam chlamydem quadratam fuiſſe probes, ita progrederis; χλαίνη Homerica, Didymo & Ammonio teſtibus, quadrata fuit: Si ergo demonſtrari poteſt, in chlamydem Romanam conuenire omnia, quæ χλαίνης propria ſunt, quis negare poterit, quadratam fuiſſe Romanam? Bene eſt. Oſtende iam chlamydem Romanam cum læna per omnia conueniſſe. χλαῖνα, inquis, *Homericâ, μανδυοειδὴς fuit, fibula ſtringebatur, ἀναπλὸν, ἐνδυτὸν erat veſtimentum in anteriori parte apertum, poſteriora corporis ferè tantùm tegebat. omnia iſta μανδύης propria. at αὐτόχρημα μανδύην fuiſſe liquet Romanam chlamydem.* Pergis deinde, & vt probes μανδυοειδῆ fuiſſe chlamydem Romanam, de tua copiola Grammatica ſolitas gerras prolixiſſimè largiris. Ohe. quid te crucias, vt id adſtruas, quod antequam Theognis naſceretur, nemo neſciuit? Romana chlamys μανδυοειδὴς fuit: & nihilo ſecius κυκλοτερὴς, ac rotunda. Hoc agitur: ibi cardo caputque cauſſæ, vt hanc ipſam quadrãgulam fuiſſe probes. Tu enim, tu ipſe, Salmaſi, eandem iſtam chlamydem, quam à Macedonica diſtinguis, & μανδυοειδῆ, & rotundam eſſe cenſes in Notis ad Trebellium pag. 334. Col.

2. D, E, F. Habes codicem tuum. Vide, & pugnare, ac nugari desine. Vidit & *auriculas demisit, vt iniquæ mentis asellus: Cùm grauius dorso subiit onus.* Confecta iam res est, Salmasi. Et vt λογιστικὴν tuam ἀγχίνοιαν recognoscas, tu similiter argumentatus es, ac si quis te asinum esse quadrupedem ita probare vellet. Asinus caput habet, auriculas habet, nares, málas, humeros, crura, pectus habet; vescitur, spirat, odoratur, vocalis est: inde singulas περιστάσεις huius partes ex Glossariis, & aliis Grammaticis ostenderet: demum ita colligeret: hæc omnia, & iis plura in Salmasio reperiuntur: Igitur Salmasius quadrupes asinus est. Vitium in eo Syllogismi fuerit; quod cætera in te, præter quatuor pedes, asini cernuntur: tu duos tantùm habes; ideòque bipedem te asinum esse, non quadrupedem concludi oportuit, vt rectè ac legitimè forma procederet. Non ouū ouo similius, quàm Syllogismus iste alteri tuo, quo chlamydem Romanā probas fuisse quadratam. Habuit enim communia cum læna quamplurima; vt aperta & σχιστὴ, vt mantuelis esset, vt ad humeros stringeretur, ac reliqua id genus: At non magis concludes quadratam fuisse, quàm te, qui bipes sis, asinum esse quadrupedem. Hîc igitur miserrimum, vti dixeram, famę, existimationesque tuæ naufragium fecisti: ac spem omnem commentarij tui de re Vestiaria publicandi, vti & de re Numaria, tibi in perpetuum ademisti. Nam vtrobique tam absurda, tam horrenda, & piacularia cōmisisti; vt neque reuocare propter infamiam,

ac verecundiam: neque denuo repetere, propter manifestissimam falsitatem, & ἐναντιότητα integrum tibi ipsi reliqueris.

Leuicula Salmasii correctio reiicitur in Tertulliani loco.

TVas omnes sordium minutias persequi neque animus est; neque ad id otij satis, P. 68. aut stomachi. Pauca summatim carptimque perstringam. In Cap. II. de Pallio, sub initium scripserat Tertullianus: *fungitur & ipse mundus interim iste.* Tu importunè mutabas. Ego te vetui. Nunc obiicis, *fungendi* verbum absolutè non vsurpari. At ὦ τυφλότερον χρῆμα λεβηρίδος, proximè antecessit vox *muneris*. Inde ex proximo subaudienda.

Salmasii Grammatica regula imperita atque falsa, de præpositione ἀπὸ in compositis.

P. 71. APage basilicas istas sanctiones, & Grammaticas regulas, quas nemo ante te scripsit; nemo præter te scribere potuit; nemo nisi tui similis approbabit. Canon iste Salmasianus: *τὸ ἀπὸ in iis verbis, quorum significatio magis & minus recipit, & quæ plura habet contraria, vel opposita, vt plurimùm significationem augere*, vt λευκαίνειν *est albare*: ἀπολευκαίνειν

valde albare. at in illis verbis, vbi res ipsa augmentum non admittit, & vnicum contrarium est, P. 72.
τὸ ἀπὸ ferè semper contrariam infert significationem. Regula ista pertricosa, & futilis est, & authorem sapit. γυμνόω quod est *nudare*, vnum habet contrarium, *spoliare*, nec magis augmentum recipit, quàm ὑπνεῖν; & tamen ἀπογυμνοῦν non habet contrariam notionem. Sic γεννάω *gigno* vnicum habet contrarium, neque magis aut minus admittit; neque iccirco ἀπογεννάω contrarium significat· δαρθεῖν perinde vt ὑπνεῖν dormire significat; ἀποδαρθεῖν tamen idem prorsus, non contrarium sonat. Item *eleuare*, ac *deprimere* contraria sunt: κουφίζειν est *eleuare*; ἀποκουφίζειν non est *deprimere*. *soluere*, & *ligare* contraria; λύειν est *soluere*; ἀπολύειν secundum Salmasium Grammaticum erit ligare. Sic μερίζειν est *partiri*, ergo ἀπομερίζειν erit congregare. Mitto alia sexcenta. Ex quibus palam est tuam illam Grammaticam legem irritam esse, eique & infaustam ac lucifugam auem, & claudi saumarij ruditum obscœnum auspicium fecisse. Ad hæc *serenum*, quod αἰθριάζειν significat, nonne magis minúsve recipit? Itaque fallet in eo tuus canon, neque ἀπαιθριάζειν contrarium erit τῷ αἰθριάζειν.

Absurdißima, & insulsißima Salmasii interpretatio retractatur; eiusdem sycophantia.

P. 158. & deinceps.

NEmo te viuit hodie, Salmasi, stupidior; nemo est qui id haberi minus cupiat. Quod si parem ad dissimulandos errores tuos voluntati haberes industriam, næ tu metuendus aduersarius esses. Quis enim te in certissimis & manifestissimis tuis peccatis posset constringere? Sed illud percommodè hactenus cecidit, vt cùm in hallucinando hebes sis, ac plumbeus, tum in iisdem tuis excusandis erratis adeo non sis callidus, vt tùm maximè noua prioribus; ridiculis, immanibus, & absurdis, magis ridicula, immania, & absurda cōnectas. Hoc adeo Mastigophori iam nostri duo planum omnibus fecerunt: isto verò in capite, quo de cataclitis, & conchyliato pauonis collo disputas, luculentissimum dabitur exemplum περθερίας, & γοητείας illius. Nam cùm in ipso te capite quæstionis apertissimæ crassissimæque conuictum inscitiæ sentires, idipsum defugere, & obscurare conatus es, ac nescio quæ minuta, & incidentia sumpsisti, in quibus fanatici circulatoris in modum caput rotans, clamores, ac turbas excitares: vt in iis scilicet occupatū lectoris animum ab stupiditatis tuæ, asinitatisque sensu reuocares. At ego te ex iis præstigiarum inuolucris, & latebris euoluam,

& quæ

quæ Lectorum oculis suffurari solito tuo artificio satagis, aperiam omnibus, in lucémque proferam. Quare antequam tuos ad illos clamores, & putidissimas sycophantias venio, statum ipsum controuersiæ, & immanem tuam hallucinationem clarè dilucidéque proponam. Tertullianus de pauone ita scribit Cap. III de Pallio: *Quanquam & pauo pluma vestis, & quidem de cataclitis: imo omni conchylio depressior, quâ colla florent: & omni patagio inauratior, qua terga fulgent: & omni syrmate solutior, quâ caudæ iacent.* Tu in Notis ad hunc locum, ita Tertullianum exposuisti: Pag. 127 doces *vestem de cataclitis*, esse tricliniarem, & accubitalem auro, & purpura pictam: purpuram autem intelligis non quamlibet, sed à conchylio diuersam. Porro paui collum ideo cum veste de cataclitis comparari censes, quoniam mero purpuræ lumine floret, vt scribis pag. 136. Itaque purpuram meram ac pressam, hoc est saturam instar dibaphæ, quæ omnium erat saturatissima, collo pauonis tribuis. Quare cùm eius collum mero purpuræ lumine splēderet, non mirum est (ais ead. pag.) si omni conchylio vegetius sit: cùm conchylium minus saturum sit, quàm purpura. Ideo Tertullian. subijcit: *Imo omni conchylio pressior.* Nam si collum paui purpura mera, & satura fulgeat; sanè conchylium, quod dilutius est, vegeto illo lumine superabit. Hæc summa interpretationis tuæ. Quæ quàm inepta, fatua, & ridicula sit, ostendimus in Animaduersis. Quid enim mirum pressiorem esse conchylio quouis purpuram, quæ est in collo paui, cùm purpura

mera,& dibapha ſaturatior ſit conchylio? Perinde eſt enim, ac ſi quis diceret: Veneris cygnos niue candidiores eſſe; imo creta, vel farina. Item, Helenam pulcriorem fuiſſe Venere; imo Hecubâ. Nam ſi purpura à conchylio differt, vt ſcribis pag.136.quòd conchylium multo pallidius, ac dilutius ſit purpura; tu Tertullianum ita diſputantem facis; paui collum, quod mera purpura fulget, quauis purpura dibapha ſaturatius eſt, imo quouis conchylio ſaturatius. Atqui,ô ſtolide, purpura ipſa quouis conchylio preſſior eſt: quid ergo mirum pauonis collum, quod minus pallidum ac dilutum eſt, quàm ipſa purpura,etiam conchylio,quod purpurâ pallidius eſt, minus eſſe pallidum. Nam correctio figura eſt, quæ cùm ad amplificandum apponitur, id quod ſubiicitur augere rem debet. At minus eſt, preſſius eſſe conchylio paui collum,quàm purpurâ. Ineptiſſima eſt igitur iſta ratiocinatio, & iudicij, communiſque ſenſus inaniſſima. De hac tam inaudita,tam prodigioſa interpretationis abſurditate, in Cōfutatione ſiles admodum; imo intermortuis quibuſdam vocibus non excuſas tu quidem inſcitiam tantam, neque defendendi tui cauſſa quicquam adhibes; ſed leuiter ac titubanter neſcio quid obgannis: vt appareat confuſum te, & ad incitas redactum, dolore & verecundia
P.136. propemodum enectum fuiſſe. Tandem verò ſub finem capitis, ne penitus nihil habuiſſe viderêre quod diceres, timidè ac balbutiendo iſtud aſpergis: *conchylium* apud Tertullianum illo in loco, *pro qualibet purpura capi, vt etiam*

Salmasius obseruauit. Sic omni conchylio preßior, est omni purpura saturatior. In paucissimis hisce, ac languidis mortuisque vocibus, quas velut tormento quodam tuus à te pudor expressit, impudentissimè mentitus es, vt Latinè, & simpliciter loquar. Nam conchylium illo ipso Tertulliani capite tertio dicis, non pro purpura, vt interdum solet, latè sumi, sed stricta & propria notione pro eo coloris genere, quod multo pallidius, dilutiusque est, quàm purpura. Adscribam verba tua; vt eadem opera & hallucinationem tuam vel inuitus agnoscas; & inuerecundum tuum, ac putidissimum mendacium Lector intelligat.

E Claudij Salmasii Notis ad Tertullianum de Pallio, pag. 136. quibus eius asininus stupor, & mendacium flagitiosum conuincitur.

O*Mni conchylio preßior.*] πάσης πορφύρας ἐναιθίστερος καὶ κατακορέστερος. ita quidem si conchylium heic pro quauis purpura vsurpauit. SED CONCHYLIVM HOC LOCO MAGIS EST, VT SIT CONCHYLIA SIVE CONCHYLIATA VESTIS, VEL CONCHYLIATVS COLOR, QVEM A PVRPVRA SEMPER AVCTORES DISTINXERE. Nam conchylium coloris genus multo pallidius, dilutiúsque purpura: vt mirum non sit, si colla pauonum, quæ mero purpuræ lumine

florent, omni conchylio vegetiora dixerit Tertullianus, cùm conchylia omnia ſaturitatem illam floris, ac luminis non habeant, quàm habet purpura. Purpuram à cõchylio, hoc eſt purpuream veſtem à conchyliata, Plinius ſemper diſcernit. Tum in fine annotationis Pag. 142. Hæc de conchylij, ac purpuræ differentia dicenda fuere, QVIA CONCHYLIVM HEIC PERPERAM CVM PVRPVRA CONFVNDVNT INTERPRETES. Conchylium autem heîc eſt conchyliata veſtis, quæ à purpura diſtinguitur. Hæc & iis plura Salmaſius. Ex iis eridite Lector caninam frontem Cynici literatoris agnoſce. quam minus profectò miraberis, ſi & reliquam homuncionis importuni leuitatem, & Caluiniſticæ, quam profitetur, ſectæ perfidiam, ac falſitatis in ea ludum & diſciplinam recordari volueris.

P. 136. Redeo ad te, Salmaſi, & frontem tuam iterum pulſo. Non ſolùm in Confutatione tua mentiris, dum αὐταυδῶς ſcribis, obſeruaſſe te cõchylium apud Tertullianum pro qualibet purpura capi. (Nam tu notionem iſtam vocabuli *conchylij*, repudiaſti, & alteram ſtrictiorem, pro dilutiori & pallidiori colore, ſecutus es.) Sed non ſolùm νεανικὸν iſtud, & piaculare mendacium admiſiſti; ſed in tuenda altera illa conchylij ſignificatione idem te in abſurdum implicaſti.

Cõfut. P. 137. Verba tua ſunt: *Poteſt etiam & conchylium heic pro conchyliata veſte accipi, quæ à purpura diſtinguitur. cùm enim varij gradus cõchylij ſint propriè ſumpti, & aliud alio preſsius ſit, & ſaturatius,*

purpuram, quæ in collo pauonis lucet, omni conchylio etiam saturatissimo pressiorem, ac fusciorem esse dixit. Finge ijs in verbis: *imo omni conchylio pressior*; conchylium propriè sumi, prout à purpura differt; si purpura, vt vis, mera, & satura in collo sit pauonis; consequens erit, ita ratiocinari Tertullianum; purpuram, quæ est in collo pauonis, esse qualibet mera, & saturatissima purpura fusciorem, & saturatiorem; imo verò & omni conchylio. Cuius absurdissimi commenti stoliditatem ex hoc exemplo disce: Cùm in ceræ, vel chartæ genere aliæ sint candidiores aliis; si quis ita diceret; Cygnos Veneris candidiores esse niue, imò cera, vel charta. Item cùm stellæ aliæ sint aliis splendidiores, si ita pronunciaret; Christi corpus in Transfiguratione Sole lucidius fuisse; imo verò stellis: obsecro te, Salmasi, hiccine tibi hominis ore loqui, an pecudis, ac iumenti voce videretur? Hoc igitur age: huic occurre: doce te vel illa non scripsisse, quæ dixi; vel quomodo defendas, atque excuses sedulò cogita. Quid hîc mihi lora, quid flagra commemoras? Profectò si in te, pro eo ac tanta stupiditas meretur, officium facerent, olim tuum tibi tergum abstulissent.

Salmasij impudens calumnia. Kerκoertij *defensio super smaragdino colore, deque eo* κρύψις *Salmasiana.*

QVoniam ostendi, quod primum erat ac præcipuum, te in ipso quæstionis capite turpiter hallucinatum esse, & impudentius, quàm callidius dissimulare voluisse, nunc ad reliqua disputationis tuæ non minus flagitiosa mendacia, & ῥᾳδιουργίας me conferam.

Primùm illud esto, quod non in capite isto solùm, sed vbique fere declamas, & atrocissimè calumniaris; scripsisse me, smaragdinum virorem eundem esse cum colore conchylij. Si aut conuiciari tibi vellem; aut non conuiciis omnibus, & maledictis turpior esses, quibus te pro hoc effrænatissimo mendacio dictis, & imprecationibus vlciscerer?

Oro te, Cynicorum delitiæ Salmasi, qui tanti mendacium olidorũque canum greges, quanti Christum ipsum facis; quanquam frontem perfricando detriuisti; tamen si rictum adhuc hominis habes, eloquere sodes, quo in loco, quibus verbis hoc, quod scripsisse me dicis, vel litera conceperim. Si vel apicem vnum ea de re Kerκoëtius exarauit, esto, id quod maximè detestatur, Salmasius Cynicus. Mea hæc oratio fuit pag. Animaduersorum 45 cùm tu in Notis pag. 127 duos in pauone colores esse docuisses, aureum, & purpureum; purpureum

in collo, & quidem merum ac ſaturum; aureum in tergo; vt ridiculam & infantilem illam ineptiam refellerem, oſtendi primùm in collo pauoni non merum illum purpuræ florem, ſed conchylium apparere: hoc eſt dilutiorem, quam in purpura violacea colorem: tum præterea viridem, & ſmaragdinum, quod vt probarem, Phædri verſum illum protuli:

Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo.

At ô peponis ſinciput! vbinam ſcripſi ſmaragdi colorem eundem eſſe cum conchylio? Nonne palam eſt, te, vt horribilis illius παρερμηνείας, & erroris infamiam quoquo modo tegeres, iocularem illam ſycophantiam arripuiſſe, in qua νυμφόληπτος ὥς, & intemperiis percitus furioſos ore canino latratus ederes? Iterum te vt aliâs ſæpe mentitum eſſe dico: conchyliatum me in collo pauonis & ſmaragdinum colorem ſimul agnouiſſe; ſmaragdum cum conchylio minimè confudiſſe. Age oſtende me mentitum eſſe: verba mea, ſi quid reſpondere paras, itidem vti ego tua, deſcribe.

Salmaſii præter omnium fidem imperitiſſima de collo paui ſententia; quod eſſe conchyliatum, & viride, non purpureum oſtenditur.

NVnc te neque pauum vnquam vidiſſe, neque oculos habere, neque phantaſiam vllam, aut in cranij tui cauo cerebrum in[illegible]

perſpicuè monſtrabimus. In pauone duo duntaxat colorum faſtigia notas ad Tertulliani pallium; aureum, & purpureum. *Duobus autem præcipuè coloribus* (ais pag. 127.) *ſuperbit pauo, aureo, & purpureo*; horum purpureum, & quidem preſſum, atque eximium in collo florere ſentis pag. 136. 137. & 142. Ibi enim Tertullianea iſta: *imo omni conchylio depreßior, quâ colla florent*, de purpura illa mera & ſaturata capis: item illa *quâ terga fulgent*, ad aureum colorem refers. *Florere*, inquis, *heic propriè de purpura dictum, vt fulgere de auro*. Præterea: *colla autem pauonis purpureo colore florent: vt terga eius aureo fulgent*. Nego te aut paui collum vidiſſe vnquam, aut præ glama, vel heluco colores illius potuiſſe diſcernere. Tibi dico, Salmaſi, collum paui conchyliatum ſimul eſt & viride. Vterque, inquam, in eo color elucet; conchyliatus, qualis eſt irati maris, & auſterus in glauco, ac longè purpura violacea dilutior: tum ſmaragdinus. Conſule ὀρνιθοτρόφους omnes. Nemo tibi purpureum purpura illa ſatura collum auis iſt us eſſe concedet. Duplex purpuræ meræ genus eſt: alterum Tyrium *colore ſanguinis concreti nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens*, ait Plinius libr. IX. Cap. XXXVIII. in quo auſteritas, nitorque cocci quæritur: alterum amethyſtinum eximium, quod & violaceum & ianthinum dicitur: de quo Virgilius Georg. IV.

--- *violæ ſublucet purpura nigræ.*

Præter hos conchyliatus eſt color, qui nonnũquam & purpureus vocatur, latè vſurpato purpuræ nomine, qualis eſt in viola ſerotina, quam

leucoium

leucoiũ purpureum Dalecampius appellat, aut in malua ad purpuram inclinans, aut in heliotropio, de quo postea. Hac Plin. lib. xxi. Cap. viii. In collo paui dilutus, vt iterum repetam, color ille floret, viridi, & smaragdino mixtus, non purpureus merus, & saturus; minimè omnium Tyrius, nitorisque coccini: cuiusmodi tu purpurę pauonis collum comparasse videris, ex iis quæ de stragulis purpureis disputas, pag. 126. & 127. Sed hæc prodigiosa cæcitas est. Cùm igitur vnicum tu collo paui duntaxat colorem, eumque purpuræ saturæ ac meræ tribueres, nonne duplicis illius absurditatis admonendus fueras? nonne docendus conchyliatum primo colorem in collo paui non purpureum inesse: ne in boni sensus inanem illam ratiocinationem incurreres, quam tu Tertulliano per oscitantiam affingis; vti dixerit collum paui purpura satura pressius esse; imo conchylio? Sanè hæc agyrtica impudentia est, tam crassum errorem pertinaciter tueri. Nonne & illud discere te à nobis oportuit, viridem in eodem collo pauonis, & smaragdinum inesse nitorem, ne simplicem colorem agnosceres? Hæc cũ tam clara sint, vt ab omnibus, qui Animaduersa nostra legent, obseruari possint, tamen vti fur ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehẽsus, vt impunè per tumultum, ac trepidationem euaderes, miras in smaragdi vocabulo tragœdias concitasti. Sed frustra es. Nam illa tua κρύψις, & latitatio non nimis nequam, neque adeo callida ingeniosaque fuit, vt à Mastigophori nostri habenis ac flagris scapulas tuas eximeret.

Turpißima secum ipsius Salmasÿ pugna & inconstantia.

P. 131. LEuis & nihili Grammaticus noua portenta stupiditatis eodẽin capite peperit. Pręcipua sunt duo. Primùm quod in Notis Tertullianeis docuerat, hîc euertit, secúmque pugnat. Meministi te, Salmasi, duos in pauone colores, purpureum & aureum ita distinxisse, vt in collo floreret purpureus, aureus in tergo fulgeret. Scribis hoc pag. 142. *Colla autem pauonis purpureo colore florent; vt terga eius aureo fulgẽt.* Et antea: *Florere heîc propriè de purpura dictum; vt fulgere de auro.* Tertullianus pauoni vestem de cataclitis tribuit, hoc est, interprete Salmasio, purpuram dibapham, quâ colla florent; aurum eidem, quâ terga fulgent. Tū ex iisce Tertulliani verbis soli tergo pauonis aurum assignabas. Nunc in Confutatione, pag. 131. secus doces; *Tertullianus*, inquis, *heic aurum & conchylium in pauone tantum agnoscit: per conchylium omnem pauonis sapphirum, & purpurum intellexit; per patagium verò inauratum, quicquid in pauone smaragdini vel aurei coloris est.* Igitur aureum & purpureum in pauone colorem ex Tertulliani loco illo misceri, & inter se temperari iudicas. Non amplius ergo purpura in collum relegatur; aurum in tergum. Vana est ergo proprietas illa verborum, *florere*, quod purpuræ soli; *fulgere*, quod auro conuenit. Nam si promiscuè aurum & purpuram habet,

vtrique ambo illa ex æquo congruunt. Vno verbo, inducenda sunt omnia, quæ tu ad illum locum Tertulliani loquaciter effutisti. Volo mihi respondeas; cùm Tertullianus ita scribit, *pauoni vestem esse de cataclitis omni purpura* (sic enim interpretaris) *presiorem, qua colla florẽt*, vtrum aureum colorem iis verbis in collo pauonis inesse significet. Si ita est: perperam igitur in Notis ad Pallium existimas; purpuram solam à Tertulliano in pauonis collum conijci; aureum verò colorem in tergum: quod & ex sententia tua necesse est Tertullianum dixisse. Ibi enim vestem de cataclitis, quam tu vis esse purpuram meram ac solam, collo definit; tergo verò inauratum patagium. Sin de sola purpura præcisè verbis illis accipiendus est; ridiculè, & ἀσυστάτως Confut. pag. 131. scribis, *Tertullianum per patagium inauratum intellexisse, quicquid in pauone smaragdini vel aurei coloris est.* Si id verum est, sequitur patagium à Tertulliano non tergo soli, sed collo etiam attribui. Nam & ea pars, vt ais, aureo & sapphirino colore fulget. At Tertullianus per patagium inauratum intelligit QVICQVID in pauone smaragdini, vel aurei coloris est. Duo sunt orationis Tertullianeæ membra, quibus purpureum & aureum colorem separatim describit. Primum est: *Pauoni vestis, & quidem de cataclitis omni conchylio presior, quà colla florent*: quibus sola, vt in Notis affirmas, satura purpura continetur: Alterum: *& omni patagio inauratior, qua terga fulgent*; quod de aureo solo colore accipis. In iis neque conchylium tergo;

neque patagium collo tribuit. Falſum eſt ergo per conchylium OMNEM *pauonis ſapphirum, & purpuram* intelligi; quæ vtique etiam in aliis corporis partibus, & in tergo floret: falſum etiam per patagium ſignificari, QVICQVID *in pauone ſmaragdini vel aurei coloris eſt*; cum in collo ipſo ſmaragdus fulgeat; cui patagium non conuenit.

Ad hæc fœdiſſima eſt ἀβλεψία, & contradictio tua. *Patagium eſt clauus aureus* (verba tua ſunt Notarum pag. 143.) à πατάσσω, παταγεῖον. Si patagium eſt clauus aureus; patagium autem ſignificat, QVICQVID ſapphirini coloris eſt in pauo; eſt autem & in collo ſapphirinus color, ergo patagium & clauus aureus eſt in collo paui. Claui aurei in pauone ſunt oculi. Proinde oculi erunt in pauonis collo, non in tergo ſolùm. En prodigia Grammaticæ tuæ conflictationis. *Pauonis collum itidem vt tergum oculatum eſſe: purpuram in collo eſſe ſolo, non & non eſſe: aurum ineſſe tergo, & non in ſolo tergo ineſſe.* Ita poſtquam diu eluctatus fueras in λαμπυρίδος vocabulo, diuina hæc obſeruatio prodiit, *ſcarabeum eſſe lampetram piſcem*: tum poſteà; *eundem piſcem lampetram, eſſe vulpem.*

Monstrum Salmasianæ inscitiæ, qui aurum viride facit. triplex in collo paui color. Phile & Pisides illustrantur.

ALterum Grammaticæ tuæ τέρας; quod smaragdinum colorem cum aureo confundis, & vnum eundemque facis. *Per patagium* (ais) *inauratum Tertullianus intelligit, quidquid in pauone smaragdini vel aurei coloris est. Nam & Græci aurum χλωρὸν vocant.* Quis indolis istius παχύτητα, & supinitatem dignè satis castiget? Aureum igitur viride est, quia χλωρὸν appellatur? Nescis χλωρὸν non tantùm *viride* significare, sed etiam pallidum? Hac notione χλωρὸν vocatur aurum in vulgatis iisce senariis, quos apud Scholiastem Aristophanis alicubi legi,

Τί ποτ' ἐστὶ χλωρὸν αὐτίκα τὸ χρυσίον;
Δέδοικ' ἐπιβουλευόμενον ὑπὸ πάντων ἀεί.
Cedo ecquid auri pallidus tandem est color?
Nempe omnium illud semper insidias timet.

Rectè aurum pallidum appellatur, & χλωρόν: non tamen *viride*; vti neque *mors viridis* dicetur, vel *timor viridis*, quamuis vtrumque pallidum vocetur. Nescio an quisquam adeo bardus & Salmasius præter te reperiri possit, vt mortem, quia χλωρὸς vocatur, viridem nominet. χλωρὸς prӕterea *recentem, & mollem significat*, vti *caseum*. An quia χλωρὸς etiam auro tribuitur, aurum dices instar esse casei molle?

Viridis color & ſmaragdinus in pauone ab aureo diſtinguitur. Ex aureo & purpureo ſmaragdinus oritur. Docet hoc Phile de pauone; cuius verba mutila, & truncata, neque apud ipſum authorem legiſti, neque prorſus intellexiſti. Ea tu ex Nicolai Rigaltij Notis ad Phędri Fab. LVII deſcripſiſti. Argumento eſt, quod eodem, quo illîc citata ſunt, interpunctionis mendo apud te laborant. Ita enim ex librarij hallucinatione concepta ſunt in Notis Rigaltij.

Χρυσὸς δὲ λεπτὸς ἐγχεθεὶς τῇ πορφύρᾳ
Σμάραγδον ἁγνὸν ἐμφυτεύει. τῇ κράσει. &c.

Cùm poſt verbum, *ἐμφυτεύει* maiorem *στιγμὴν* animaduertiſſes, ibi deſiiſti, & reliquas voculas *τῇ κράσει*, quaſi alterius eſſent ſententiæ, prætermiſiſti. Atqui vitioſa eſt interpunctio iſta: & hoc Phile voluit; ex auri & purpuræ temperatione ſmaragdinum colorem effici. Nam vterque color refractus eſt, ita vt aurum pallidius ſit, & purpura dilutior; vnde & hęc in conchylium in collo degenerat; & ex duobus iſtis coloribus tertius, id eſt ſmaragdinus oritur. Cùm Philen legeris, & intelligere potueris, id ita ſe habere cognoſces. Cur deinde *ἐνχεθεὶς* apud eundem ſcribis pro *ἐγχεθεὶς*; An ex arcanis Græcæ tuæ ſcientiæ comperiſti, non dici *ἐγχεθεὶς* ab *ἐγχέω*; *Aureus*, inquit Phile, *color purpuræ aſperſus ſmaragdinum colerem tẽperatura gignit*. En

P.130. qui *cæcum* & *ſtolidum* vocat Kerkoëtium, quòd ſmaragdinum colorem in collo pauonis eſſe monuerit. Quid te cæcius? quid ſtolidius, qui duos tantùm iſtos colores, purpureum &

viridem à Phile iungi ſcripſiſti ? Nam prima faſtigia colorum ſunt aureus, & purpureus: ex iis velut elementis, tertius ſmaragdinus exiſtit. Aut igitur duos iungit primarios, aurum, & purpuram; aut tres, nempe cum illis ſmaragdinum nitorem. Idem & Piſides quod Phile, verſib⁹ illis docet, quos tu ex Rigaltij Notis exſcripſiſti. Peſſimè enim ex iis deducis duos tantùm colores, purpureum, & ſmaragdinum ab eo deſcribi, quaſi χρυσὸς, quē σαπφείρῳ miſtum eſſe dicit, idem ſit cum σμαράγδῳ, cuius in ſequenti verſu meminit. ô dignum capiſtro caput! ô tergum ad clitellas factum! Piſidæ verſus adſcribam; vt infantia tua notior ſit.

Ω πῶς ἰδών τις τὸν ταὼ μὴ θαυμάσοι,
Τὸν χρυσὸν εἰς σάπφειρον ἐμπεπλεγμένον,
Καὶ τὴν πτερωτὴν ἐν σμαράγδῳ πορφύραν,
Τὰς πολυμόρφους συνθέσεις τῶν χρωμάτων.
Ολας ἀσυγχύτους τε, καὶ μεμιγμένας.

O! quomodo ſpectans quiſpiam pauonem non miretur,
Aurum ſapphiro implicatum videns,
Et pennatam in ſmaragdo purpuram;
Multiformes compoſitiones colorum,
Totas non confuſas, & permiſtas!

Heic triplicem, vt & Phile, colorem diſcernit, aureum, ſapphirinum, & ſmaragdinum; neque aureum cum ſmaragdino eumdem fecit; qui tuus eſt κορυβαντιασμὸς aliquot paginis expreſſus.

Salmasij impudens calumnia. Kerκoertij defensio super smaragdino colore, deque eo χρύψις Salmasiana.

QVoniam ostendi, quod primum erat ac præcipuum, te in ipso quæstionis capite turpiter hallucinatum esse, & impudentius, quàm callidius dissimulare voluisse, nunc ad reliqua disputationis tuæ non minus flagitiosa mendacia, & κακονοήθειας me conferam.

Primùm illud esto, quod non in capite isto solùm, sed vbique fere declamas, & atrocissimè calumniaris; scripsisse me, smaragdinum virorem eundem esse cum colore conchylij. Si aut conuiciari tibi vellem; aut non conuiciis omnibus, & maledictis turpior esses, quibus te pro hoc effrænatissimo mendacio dictis, & imprecationibus vlciscerer?

Oro te, Cynicorum delitiæ Salmasi, qui tanti mendacium olidorũque canum greges, quanti Christum ipsum facis; quanquam frontem perfricando detriuisti; tamen si rictum adhuc hominis habes, eloquere sodes, quo in loco, quibus verbis hoc, quod scripsisse me dicis, vel litera conceperim. Si vel apicem vnum ea de re Kerκoëtius exarauit, esto, id quod maximè detestatur, Salmasius Cynicus. Mea hæc oratio fuit pag. Animaduersorum 45 cùm tu in Notis pag. 127 duos in pauone colores esse docuisses, aureum, & purpureum; purpureum

in collo, & quidem merum ac ſaturum; aureum in tergo; vt ridiculam & infantilem illam ineptiam refellerem, oſtendi primùm in collo pani non merum illum purpuræ florem, ſed conchylium apparere: hoc eſt dilutiorem, quam in purpura violacea colorem: tum præterea viridem, & ſmaragdinum, quod vt probarem, Phædri verſum illum protuli:

Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo.

At ô peponis ſinciput! vbinam ſcripſi ſmaragdi colorem eundem eſſe cum conchylio? Nonne palam eſt, te, vt horribilis illius παρερμηνείας, & erroris infamiam quoquo modo tegeres, iocularem illam ſycophantiam arripuiſſe, in qua νυμφόληπτος ὤς, & intemperiis percitus furioſos ore canino latratus ederes? Iterum te vt aliâs ſæpe mentitum eſſe dico: conchyliatum me in collo pauonis & ſmaragdinum colorem ſimul agnouiſſe; ſmaragdum cum conchylio minimè confudiſſe. Age oſtende me mentitum eſſe: verba mea, ſi quid reſpondere paras, itidem vti ego tua, deſcribe.

Salmaſii præter omnium fidem imperitiſſima de collo paui ſententia; quod eſſe conchyliatum, & viride, non purpureum oſtenditur.

NVnc te neque pauum vnquam vidiſſe, neque oculos habere, neque phantaſiam vllam, aut in cranij tui cauo cerebrum in[illegible]

perſpicuè monſtrabimus. In pauone duo duntaxat colorum faſtigia notas ad Tertulliani pallium; aureum, & purpureum. *Duobus autem præcipuè coloribus* (ais pag. 127.) *ſuperbit pauo, aureo, & purpureo*; horum purpureum, & quidem preſſum, atque eximium in collo florere ſentis pag. 136. 137. & 142. Ibi enim Tertullianea iſta: *imo omni conchylio depreßior, quâ colla florent*, de purpura illa mera & ſaturata capis: item illa *quâ terga fulgent*, ad aureum colorem refers. *Florere*, inquis, *heic propriè de purpura dictum, vt fulgere de auro*. Præterea: *colla autem pauonis purpureo colore florent: vt terga eius aureo fulgent*. Nego te aut paui collum vidiſſe vnquam, aut præ glama, vel heluco colores illius potuiſſe diſcernere. Tibi dico, Salmaſi, collum paui conchyliatum ſimul eſt & viride. Vterque, inquam, in eo color elucet; conchyliatus, qualis eſt irati maris, & auſterus in glauco, ac longè purpura violacea dilutior: tum ſmaragdinus. Conſule ὀρνιθοτρόφους omnes. Nemo tibi purpureum purpura illa ſatura collum auis iſt us eſſe concedet. Duplex purpuræ meræ genus eſt: alterum Tyrium *colore ſanguinis concreti nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens*, ait Plinius libr. IX. Cap. XXXVIII. in quo auſteritas, nitorque cocci quæritur: alterum amethyſtinum eximium, quod & violaceum & ianthinum dicitur: de quo Virgilius Georg. IV.

--- *violæ ſublucet purpura nigræ.*

Præter hos conchyliatus eſt color, qui nonnũquam & purpureus vocatur, latè vſurpato purpuræ nomine, qualis eſt in viola ſerotina, quam

leucoium

leucoiũ purpureum Dalecampius appellat, aut in malua ad purpuram inclinans, aut in heliotropio, de quo poſtea. Hac Plin. lib. xxi. Cap. viii. In collo paui dilutus, vt iterum repetam, color ille floret, viridi, & ſmaragdino mixtus, non purpureus merus, & ſaturus; minimè omnium Tyrius, nitoriſque coccini: cuiuſmodi tu purpurę pauonis collum comparaſſe videris, ex iis quæ de ſtragulis purpureis diſputas, pag. 126. & 127. Sed hæc prodigioſa cæcitas eſt. Cùm igitur vnicum tu collo paui duntaxat colorem, eumque purpuræ ſaturæ ac meræ tribueres, nonne duplicis illius abſurditatis admonendus fueras? nonne docendus conchyliatum primo colorem in collo paui non purpureum ineſſe: ne in boni ſenſus inanem illam ratiocinationem incurreres, quam tu Tertulliano per oſcitantiam affingis; vti dixerit collum paui purpura ſatura preſſius eſſe; imo conchylio? Sanè hæc agyrtica impudentia eſt, tam craſſum errorem pertinaciter tueri. Nonne & illud diſcere te à nobis oportuit, viridem in eodem collo pauonis, & ſmaragdinum ineſſe nitorem, ne ſimplicem colorem agnoſceres? Hæc cũ tam clara ſint, vt ab omnibus, qui Animaduerſa noſtra legent, obſeruari poſſint, tamen vti fur ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehēſus, vt impunè per tumultum, ac trepidationem euaderes, miras in ſmaragdi vocabulo tragœdias concitaſti. Sed fruſtra es. Nam illa tua κρύψις, & latitatio non nimis nequam, neque adeo callida ingenioſaque fuit, vt à Maſtigophori noſtri habenis ac flagris ſcapulas tuas eximeret.

Turpißima ſecum ipſius Salmasij pugna & inconſtantia.

LEuis & nihili Grammaticus noua porten-
P. 131. ta ſtupiditatis eodẽm capite peperit. Pręcipua ſunt duo. Primùm quod in Notis Tertullianeis docuerat, hîc euertit, ſecúmque pugnat. Meminiſti te, Salmaſi, duos in pauone colores, purpureum & aureum ita diſtinxiſſe, vt in collo floreret purpureus, aureus in tergo fulgeret. Scribis hoc pag. 142. *Colla autem pauonis purpureo colore florent; vt terga eius aureo fulgẽt.* Et antea: *Florere heîc propriè de purpura dictum; vt fulgere de auro.* Tertullianus pauoni veſtem de cataclitis tribuit, hoc eſt, interprete Salmaſio, purpuram dibapham, quâ colla florent; aurum eidem, quâ terga fulgent. Tu ex iiſce Tertulliani verbis ſoli tergo pauonis aurum aſſignabas. Nunc in Confutatione, pag. 131. ſecus doces; *Tertullianus*, inquis, *heic aurum & conchylium in pauone tantum agnoſcit: per conchylium omnem pauonis ſapphirum, & purpurum intellexit; per patagium verò inauratum, quicquid in pauone ſmaragdini vel aurei coloris eſt.* Igitur aureum & purpureum in pauone colorem ex Tertulliani loco illo miſceri, & inter ſe temperari iudicas. Non amplius ergo purpura in collum relegatur; aurum in tergum. Vana eſt ergo proprietas illa verborum, *florere*, quod purpuræ ſoli; *fulgere*, quod auro conuenit. Nam ſi promiſcuè aurum & purpuram habet,

vtrique ambo illa ex æquo congruunt. Vno verbo, inducenda ſunt omnia, quæ tu ad illum locum Tertulliani loquaciter effutiſti. Volo mihi reſpondeas; cùm Tertullianus ita ſcribit, *pauoni veſtem eſſe de cataclitis omni purpura* (ſic enim interpretaris) *preſsiorem, qua colla florẽt,* vtrum aureum colorem iis verbis in collo pauonis ineſſe ſignificet. Si ita eſt: perperam igitur in Notis ad Pallium exiſtimas; purpuram ſolam à Tertulliano in pauonis collum conijci; aureum verò colorem in tergum: quod & ex ſententia tua neceſſe eſt Tertullianum dixiſſe. Ibi enim veſtem de cataclitis, quam tu vis eſſe purpuram meram ac ſolam, collo definit; tergo verò inauratum patagium. Sin de ſola purpura præcisè verbis illis accipiendus eſt; ridiculè, & ἀσυστάτως Confut. pag. 131. ſcribis, *Tertullianum per patagium inauratum intellexiſſe, quicquid in pauone ſmaragdini vel aurei coloris eſt.* Si id verum eſt, ſequitur patagium à Tertulliano non tergo ſoli, ſed collo etiam attribui. Nam & ea pars, vt ais, aureo & ſapphirino colore fulget. At Tertullianus per patagium inauratum intelligit QVICQVID in pauone ſmaragdini, vel aurei coloris eſt. Duo ſunt orationis Tertullianeæ membra, quibus purpureum & aureum colorem ſeparatim deſcribit. Primum eſt: *Pauoni veſtis, & quidem de cataclitis omni conchylio preſsior, quà colla florent:* quibus ſola, vt in Notis affirmas, ſatura purpura continetur: Alterum: *& omni patagio inauratior, qua terga fulgent*; quod de aureo ſolo colore accipis. In iis neque conchylium tergo;

neque patagium collo tribuit. Falſum eſt ergo per conchylium OMNEM *pauonis ſapphirum, & purpuram* intelligi; quæ vtique etiam in aliis corporis partibus, & in tergo floret: falſum etiam per patagium ſignificari, QVICQVID *in pauone ſmaragdini vel aurei coloris eſt*; cum in collo ipſo ſmaragdus fulgeat; cui patagium non conuenit.

Ad hæc fœdiſſima eſt ἀβλεψία, & contradictio tua. *Patagium eſt clauus aureus* (verba tua ſunt Notarum pag. 143.) à πατάσσω, παταγεῖον. Si patagium eſt clauus aureus; patagium autem ſignificat, QVICQVID ſapphirini coloris eſt in pauo; eſt autem & in collo ſapphirinus color, ergo patagium & clauus aureus eſt in collo paui. Claui aurei in pauone ſunt oculi. Proinde oculi erunt in pauonis collo, non in tergo ſolùm. En prodigia Grammaticæ tuæ conflictationis. *Pauonis collum itidem vt tergum oculatum eſſe: purpuram in collo eſſe ſolo, non & non eſſe: aurum ineſſe tergo, & non in ſolo tergo ineſſe.* Ita poſtquam diu eluctatus fueras in λαμπυείδος vocabulo, diuina hæc obſeruatio prodiit, *ſcarabeum eſſe lampetram piſcem*: tum poſteà; *eundem piſcem lampetram, eſſe vulpem.*

Monstrum Salmasianæ inscitiæ, qui aurum viride facit. triplex in collo paui color. Phile & Pisides illustrantur.

ALterum Grammaticæ tuæ τέρας; quod smaragdinum colorem cum aureo confundis, & vnum eundemque facis. *Per patagium* (ais) *inauratum Tertullianus intelligit, quidquid in pauone smaragdini vel aurei coloris est. Nam & Græci aurum χλωρὸν vocant.* Quis indolis istius παχύτητα, & supinitatem dignè satis castiget? Aureum igitur viride est, quia χλωρὸν appellatur? Nescis χλωρὸν non tantùm *viride* significare, sed etiam pallidum? Hac notione χλωρὸν vocatur aurum in vulgatis iisce senariis, quos apud Scholiastem Aristophanis alicubi legi,

> Τί ποτ' ἐστὶ χλωρὸν ἀντιβολῶ τὸ χρυσίον;
> Δέδοικ' ἐπιβουλευόμενον ὑπὸ πάντων ἀεί.
> *Cedo ecquid auri pallidus tandem est color?*
> *Nempe omnium illud semper insidias timet.*

Rectè aurum pallidum appellatur, & χλωρόν: non tamen *viride*; vti neque *mors viridis* dicetur, vel *timor viridis*, quamuis vtrumque pallidum vocetur. Nescio an quisquam adeo bardus & Salmasius præter te reperiri possit, vt mortem, quia χλωρὸς vocatur, viridem nominet. χλωρὸς præterea *recentem, & mollem significat*, vti *caseum*. An quia χλωρὸς etiam auro tribuitur, aurum dices instar esse casei molle?

florent,omni conchylio vegetiora dixerit Tertullianus, cùm conchylia omnia ſaturitatem illam floris, ac luminis non habeant, quàm habet purpura. Purpuram à cõchylio,hoc eſt purpuream veſtem à conchyliata, Plinius ſemper diſcernit. Tum in fine annotationis Pag. 142. Hæc de conchylij, ac purpuræ differentia dicenda fuere, QVIA CONCHYLIVM HEIC PERPERAM CVM PVRPVRA CONFVNDVNT INTERPRETES. Conchylium autem heîc eſt conchyliata veſtis, quæ à purpura diſtinguitur. Hæc & iis plura Salmaſius. Ex iis eridite Lector caninam frontem Cynici literatoris agnoſce. quam minus profectò miraberis, ſi & reliquam homuncionis importuni leuitatem, & Caluiniſticæ, quam profitetur, ſectæ perfidiam,ac falſitatis in ea ludum & diſciplinam recordari volueris.

P. 136. Redeo ad te, Salmaſi, & frontem tuam iterum pulſo. Non ſolùm in Confutatione tua mentiris, dum αὐαιδῶς ſcribis, obſeruaſſe te cõchylium apud Tertullianum pro qualibet purpura capi. (Nam tu notionem iſtam vocabuli *conchylij*, repudiaſti, & alteram ſtrictiorem,pro dilutiori & pallidiori colore, ſecutus es.) Sed non ſolùm νεανικὸν iſtud, & piaculare mendacium admiſiſti; ſed in tuenda altera illa conchylij ſignificatione idem te in abſurdum implicaſti.

Cõfut. P. 137. Verba tua ſunt: *Poteſt etiam & conchylium heic pro conchyliata veſte accipi, quæ à purpura diſtinguitur. cùm enim varij gradus cõchylij ſint propriè ſumpti, & aliud alio preſsius ſit, & ſaturatius,*

purpuram, quæ in collo pauonis lucet, omni conchylio etiam saturatissimo pressiorem, ac fusciorem esse dixit. Finge ijs in verbis: *imo omni conchylio pressior*; conchylium propriè sumi, prout à purpura differt; si purpura, vt vis, mera, & satura in collo sit pauonis; consequens erit, ita ratiocinari Tertullianum; purpuram, quæ est in collo pauonis, esse qualibet mera, & saturatissima purpura fusciorem, & saturatiorem; imo verò & omni conchylio. Cuius absurdissimi commenti stoliditatem ex hoc exemplo disce: Cùm in ceræ, vel chartæ genere aliæ sint candidiores aliis; si quis ita diceret; Cygnos Veneris candidiores esse niue, imò cera, vel charta. Item cùm stellæ aliæ sint aliis splendidiores, si ita pronunciaret; Christi corpus in Transfiguratione Sole lucidius fuisse; imo verò stellis: obsecro te, Salmasi, hiccine tibi hominis ore loqui, an pecudis, ac iumenti voce videretur? Hoc igitur age: huic occurre: doce te vel illa non scripsisse, quæ dixi; vel quomodo defendas, atque excuses sedulò cogita. Quid hîc mihi lora, quid flagra commemoras? Profectò si in te, pro eo ac tanta stupiditas meretur, officium facerent, olim tuum tibi tergum abstulissent.

Salmasij impudens calumnia. Kerκoertij *defensio super smaragdino colore, deque eo* κρύψις *Salmasiana.*

QVoniam ostendi, quod primum erat ac præcipuum, te in ipso quæstionis capite turpiter hallucinatum esse, & impudentius, quàm callidius dissimulare voluisse, nunc ad reliqua disputationis tuæ non minus flagitiosa mendacia, & κακοηθείας me conferam.

Primùm illud esto, quod non in capite isto solùm, sed vbique fere declamas, & atrocissimè calumniaris; scripsisse me, smaragdinum virorem eundem esse cum colore conchylij. Si aut conuiciari tibi vellem; aut non conuiciis omnibus, & maledictis turpior esses, quibus te pro hoc effrænatissimo mendacio dictis, & imprecationibus vlciscerer?

Oro te, Cynicorum delitiæ Salmasi, qui tanti mendacium olidorũque canum greges, quanti Christum ipsum facis; quanquam frontem perfricando detriuisti; tamen si rictum adhuc hominis habes, eloquere sodes, quo in loco, quibus verbis hoc, quod scripsisse me dicis, vel litera conceperim. Si vel apicem vnum ea de re Kerκoëtius exarauit, esto, id quod maximè detestatur, Salmasius Cynicus. Mea hæc oratio fuit pag. Animaduersorum 45 cùm tu in Notis pag. 127 duos in pauone colores esse docuisses, aureum, & purpureum; purpureum

in collo, & quidem merum ac saturum; aureum in tergo; vt ridiculam & infantilem illam ineptiam refellerem, ostendi primùm in collo pani non merum illum purpuræ florem, sed conchylium apparere: hoc est dilutiorem, quam in purpura violacea colorem: tum præterea viridem, & smaragdinum, quod vt probarem, Phædri versum illum protuli:

Nitor smaragdi collo præfulget tuo.

At ô peponis sinciput! vbinam scripsi smaragdi colorem eundem esse cum conchylio? Nonne palam est, te, vt horribilis illius παρερμηνείας, & erroris infamiam quoquo modo tegeres, iocularem illam sycophantiam arripuisse, in qua νυμφόληπτος ὡς, & intemperiis percitus furiosos ore canino latratus ederes? Iterum te vt aliâs sæpe mentitum esse dico: conchyliatum me in collo pauonis & smaragdinum colorem simul agnouisse; smaragdum cum conchylio minimè confudisse. Age ostende me mentitum esse: verba mea, si quid respondere paras, itidem vti ego tua, describe.

Salmasii præter omnium fidem imperitissima de collo paui sententia; quod esse conchyliatum, & viride, non purpureum ostenditur.

NVnc te neque pauum vnquam vidisse, neque oculos habere, neque phantasiam vllam, aut in cranij tui cauo cerebrum in[illegible]

perspicuè monstrabimus. In pauone duo duntaxat colorum fastigia notas ad Tertulliani pallium; aureum, & purpureum. *Duobus autem præcipuè coloribus* (ais pag. 127.) *superbit pauo, aureo, & purpureo*; horum purpureum, & quidem pressum, atque eximium in collo florere sentis pag. 136. 137. & 142. Ibi enim Tertullianea ista: *imo omni conchylio depreßior, quâ colla florent*, de purpura illa mera & saturata capis: item illa *quâ terga fulgent*, ad aureum colorem refers. *Florere*, inquis, *heic propriè de purpura dictum, vt fulgere de auro*. Præterea: *colla autem pauonis purpureo colore florent: vt terga eius aureo fulgent*. Nego te aut paui collum vidisse vnquam, aut præ glama, vel heluco colores illius potuisse discernere. Tibi dico, Salmasi, collum paui conchyliatum simul est & viride. Vterque, inquam, in eo color elucet; conchyliatus, qualis est irati maris, & austerus in glauco, ac longè purpura violacea dilutior: tum smaragdinus. Consule ὀρνιθοτρόφους omnes. Nemo tibi purpureum purpura illa satura collum auis istius esse concedet. Duplex purpuræ meræ genus est: alterum Tyrium *colore sanguinis concreti nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens*, ait Plinius libr. IX. Cap. XXXVIII. in quo austeritas, nitorque cocci quæritur: alterum amethystinum eximium, quod & violaceum & ianthinum dicitur: de quo Virgilius Georg. IV.

--- *violæ sublucet purpura nigræ*.

Præter hos conchyliatus est color, qui nonnunquam & purpureus vocatur, latè vsurpato purpuræ nomine, qualis est in viola serotina, quam leucoium

leucoiū purpureum Dalecampius appellat, aut in malua ad purpuram inclinans, aut in heliotropio, de quo poſtea. Hac Plin. lib. XXI. Cap. VIII. In collo paui dilutus, vt iterum repetam, color ille floret, viridi, & ſmaragdino mixtus, non purpureus merus, & ſaturus; minimè omnium Tyrius, nitoriſque coccini: cuiuſmodi tu purpurę pauonis collum comparaſſe videris, ex iis quæ de ſtragulis purpureis diſputas, pag. 126. & 127. Sed hæc prodigioſa cæcitas eſt. Cùm igitur vnicum tu collo paui duntaxat colorem, eumque purpuræ ſaturæ ac meræ tribueres, nonne duplicis illius abſurditatis admonendus fueras? nonne docendus conchyliatum primo colorem in collo paui non purpureum ineſſe: ne in boni ſenſus inanem illam ratiocinationem incurreres, quam tu Tertulliano per oſcitantiam affingis; vti dixerit collum paui purpura ſatura preſſius eſſe; imo conchylio? Sanè hæc agyrtica impudentia eſt, tam craſſum errorem pertinaciter tueri. Nonne & illud diſcere te à nobis oportuit, viridem in eodem collo pauonis, & ſmaragdinum ineſſe nitorem, ne ſimplicem colorem agnoſceres? Hæc cū tam clara ſint, vt ab omnibus, qui Animaduerſa noſtra legent, obſeruari poſſint, tamen vti fur ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehēſus, vt impunè per tumultum, ac trepidationem euaderes, miras in ſmaragdi vocabulo tragœdias concitaſti. Sed fruſtra es. Nam illa tua κρύψις, & latitatio non nimis nequam, neque adeo callida ingenioſaque fuit, vt à Maſtigophori noſtri habenis ac flagris ſcapulas tuas eximeret.

Turpißima secum ipsius Salmasÿ pugna & inconstantia.

LEuis & nihili Grammaticus noua porten-
P. 131. ta stupiditatis eodēm capite peperit. Precipua sunt duo. Primùm quod in Notis Tertullianeis docuerat, hîc euertit, secúmque pugnat. Meministi te, Salmasi, duos in pauone colores, purpureum & aureum ita distinxisse, vt in collo floreret purpureus, aureus in tergo fulgeret. Scribis hoc pag. 142. *Colla autem pauonis purpureo colore florent; vt terga eius aureo fulgēt.* Et antea: *Florere heîc propriè de purpura dictum; vt fulgere de auro.* Tertullianus pauoni vestem de cataclitis tribuit, hoc est, interprete Salmasio, purpuram dibapham, quâ colla florent; aurum eidem, quâ terga fulgent. Tū ex iisce Tertulliani verbis soli tergo pauonis aurum assignabas. Nunc in Confutatione, pag. 131. secus doces; *Tertullianus*, inquis, *heic aurum & conchylium in pauone tantum agnoscit: per conchylium omnem pauonis sapphirum, & purpurum intellexit; per patagium verò inauratum, quicquid in pauone smaragdini vel aurei coloris est.* Igitur aureum & purpureum in pauone colorem ex Tertulliani loco illo misceri, & inter se temperari iudicas. Non amplius ergo purpura in collum relegatur; aurum in tergum. Vana est ergo proprietas illa verborum, *florere*, quod purpuræ soli; *fulgere*, quod auro conuenit. Nam si promiscuè aurum & purpuram habet,

vtrique ambo illa ex æquo congruunt. Vno verbo, inducenda sunt omnia, quæ tu ad illum locum Tertulliani loquaciter effutisti. Volo mihi respondeas; cùm Tertullianus ita scribit, *pauoni vestem esse de cataclitis omni purpura* (sic enim interpretaris) *presßiorem, qua colla florēt*, vtrum aureum colorem iis verbis in collo pauonis inesse significet. Si ita est: perperam igitur in Notis ad Pallium existimas; purpuram solam à Tertulliano in pauonis collum conijci; aureum verò colorem in tergum: quod & ex sententia tua necesse est Tertullianum dixisse. Ibi enim vestem de cataclitis, quam tu vis esse purpuram meram ac solam, collo definit; tergo verò inauratum patagium. Sin de sola purpura præcisè verbis illis accipiendus est; ridiculè, & ἀσυστάτως Confut. pag. 131. scribis, *Tertullianum per patagium inauratum intellexisse, quicquid in pauone smaragdini vel aurei coloris est*. Si id verum est, sequitur patagium à Tertulliano non tergo soli, sed collo etiam attribui. Nam & ea pars, vt ais, aureo & sapphirino colore fulget. At Tertullianus per patagium inauratum intelligit QVICQVID in pauone smaragdini, vel aurei coloris est. Duo sunt orationis Tertullianeæ membra, quibus purpureum & aureum colorem separatim describit. Primum est: *Pauoni vestis, & quidem de cataclitis omni conchylio presßior, quà colla florent*: quibus sola, vt in Notis affirmas, satura purpura continetur: Alterum: *& omni patagio inauratior, qua terga fulgent*; quod de aureo solo colore accipis. In iis neque conchylium tergo;

Monstrum Salmasianæ inscitiæ, qui aurum viride facit. triplex in collo paui color. Phile & Pisides illustrantur.

ALterum Grammaticæ tuæ τέρας; quod smaragdinum colorem cum aureo confundis, & vnum eundemque facis. *Per patagium* (ais) *inauratum Tertullianus intelligit, quidquid in pauone smaragdini vel aurei coloris est. Nam & Græci aurum χλωρὸν vocant.* Quis indolis istius παχύτητα, & supinitatem dignè satis castiget? Aureum igitur viride est, quia χλωρὸν appellatur? Nescis χλωρὸν non tantùm *viride* significare, sed etiam pallidum? Hac notione χλωρὸν vocatur aurum in vulgatis iisce senariis, quos apud Scholiastem Aristophanis alicubi legi,

> Τί ποτ' ἐστὶ χλωρὸν αὐτίβολῶ τὸ χρυσίον;
> Δέδοικ' ἐπιβουλευόμενον ὑπὸ πάντων ἀεί.
> *Cedo ecquid auri pallidus tandem est color?*
> *Nempe omnium illud semper insidias timet.*

Rectè aurum pallidum appellatur, & χλωρὸν: non tamen *viride*; vti neque *mors viridis* dicetur, vel *timor viridis*, quamuis vtrumque pallidum vocetur. Nescio an quisquam adeo bardus & Salmasius præter te reperiri possit, vt mortem, quia χλωρὸς vocatur, viridem nominet. χλωρὸς pręterea *recentem, & mollem significat*, vti *caseum*. An quia χλωρὸς etiam auro tribuitur, aurum dices instar esse casei molle?

Viridis color & ſmaragdinus in pauone ab aureo diſtinguitur. Ex aureo & purpureo ſmaragdinus oritur. Docet hoc Phile de pauone; cuius verba mutila, & truncata, neque apud ipſum authorem legiſti, neque prorſus intellexiſti. Ea tu ex Nicolai Rigaltij Notis ad Phędri Fab. LVII deſcripſiſti. Argumento eſt, quod eodem, quo illîc citata ſunt, interpunctionis mendo apud te laborant. Ita enim ex librarij hallucinatione concepta ſunt in Notis Rigaltij.

Χρυσὸς δὲ λεπτὸς ἐγχεθεὶς : τῇ πορφύρᾳ
Σμάραγδον ἁγνὸν ἐμφυτεύει. τῇ κράσει. &c.

Cùm poſt verbum, ἐμφυτεύει maiorem *στιγμὴν* animaduertiſſes, ibi deſiiſti, & reliquas voculas τῇ κράσει, quaſi alterius eſſent ſententiæ, prætermiſiſti. Atqui vitioſa eſt interpunctio iſta: & hoc Phile voluit; ex auri & purpuræ temperatione ſmaragdinum colorem effici. Nam vterque color refractus eſt, ita vt aurum pallidius ſit, & purpura dilutior; vnde & hęc in conchylium in collo degenerat; & ex duobus iſtis coloribus tertius, id eſt ſmaragdinus oritur. Cùm Philen legeris, & intelligere potueris, id ita ſe habere cognoſces. Cur deinde ἐνχεθεὶς apud eundem ſcribis pro ἐγχεθείς; An ex arcanis Græcæ tuæ ſcientiæ comperiſti, non dici ἐγχεθεὶς ab ἐγχέω; *Aureus*, inquit Phile, *color purpuræ aſperſus ſmaragdinum colorem tēperatura gignit*. En
P.130. qui *cæcum* & *ſtolidum* vocat Kerkoëtium, quòd ſmaragdinum colorem in collo pauonis eſſe monuerit. Quid te cæcius? quid ſtolidius, qui duos tantùm iſtos colores, purpureum &

viridem à Phile iungi scripsisti? Nam prima fastigia colorum sunt aureus, & purpureus: ex iis velut elementis, tertius smaragdinus existit. Aut igitur duos iungit primarios, aurum, & purpuram; aut tres, nempe cum illis smaragdinum nitorem. Idem & Pisides quod Phile, versib⁹ illis docet, quos tu ex Rigaltij Notis exscripsisti. Pessimè enim ex iis deducis duos tantùm colores, purpureum, & smaragdinum ab eo describi, quasi χρυσός, quē σαπφείρῳ mistum esse dicit, idem sit cum σμαράγδῳ, cuius in sequenti versu meminit. ô dignum capistro caput! ô tergum ad clitellas factum! Pisidæ versus adscribam; vt infantia tua notior sit.

Ω πῶς ἰδών τις τὸν ταὼ μὴ θαυμάσοι,
Τὸν χρυσὸν εἰς σάπφειρον ἐμπεπλεγμένον,
Καὶ τὴν πτερωτὴν ἐν σμαράγδῳ πορφύραν,
Τὰς πολυμόρφους συνθέσεις τῶν χρωμάτων.
Ὅλας ἀσυγχύτους τε, καὶ μεμιγμένας.
O! quomodo spectans quispiam pauonem non miretur,
Aurum sapphiro implicatum videns,
Et pennatam in smaragdo purpuram;
Multiformes compositiones colorum,
Totas non confusas, & permistas!

Heic triplicem, vt & Phile, colorem discernit, aureum, sapphirinum, & smaragdinum; neque aureum cum smaragdino eumdem fecit; qui tuus est κορυβαντιασμὸς aliquot paginis expressus.

Κατάκλιτοι *vestes accubitoriæ. Salmasii mendax calumnia.*

POstquam tetris, & manantibus vlceribus tuis, vomicis, & carcinomatibus medicinam fecimus; nunc leuiora tubercula, & papulas attingemus. Vestem de cataclitis posse idem esse, quòd cataclitam, Animaduersa nostra docuerũt: neque necessariò τὰ κατάκλιτα hîc accipienda. Nempe vti δίφρος ἀνάκλιτος Hesychio sella est in qua acclinamur: ita κατάκλιτος δίφρος, vel κλίνη, in quibus accumbimus. Nam & δίφρος idem author inter alia reddit κράββατον. Quid habes quo coniecturam istam refellas? Sanè nihil præter risum iocúmque. Quasi non & facetus esse possim, & ludicris interrogationibus infantiam tuam vrgere. Abi sis cũ tuis delitiis, insulsissimum caput! Non eadem est *mensæ* & τῶν κατακλίτων ratio. Nam ἡ τράπεζα substantiuum est; ὁ κατάκλιτος adiectiuum. Adiectiuum autem ad varia substantiua transfertur. Huius ignoratione rei risum nobis debes in acuta illa originatione lampetræ. ἡ λαμπυρὶς substantiuum nomen est, quòd scarabeum, & cicindelam significat, ἀπὸ τοῦ λάμπειν. Tu inde sic colligis; quia scarabei istius clunes, & latera lucent, ideo vocatur λαμπυρίς. Ergo & lampetra quia lucet, erit λαμπυρὶς, & scarabeus. Item quia ἡ λαμπυρὶς significat etiam vulpem, lampetra erit vulpes. O acutum

tùm Criticum! Disce igitur substantiua nomina, vt est λαμπηνεὶς, aut τράπεζα, ad pauca & definita conuenire; adiectiua, vt ἀνάκλιτος, vt κατάκλιτος, multis rebus attribui. Sic accubitoriæ vestes, stragula, lecticæ, & id genus alia nominantur.

Postremò calumniator, & mendax es. Scribis me mordicus tueri in Tertulliano vocabulum, *depressior*, pro *pressior*: & pag. 47 citas Animaduersorum meorum. Hîc te mentitum esse negare profectò non potes. Ibi te falsò dixisse retuli, in prima Editione legi, pressior, cùm in Rhenana, quæ anno 1521 prodiit, scriptum sit *depressior*. Vtra melior esset, nihil vtramuis in partem asserui. Sed neque tamen hanc ipsam, quam proscribis, penitus condemno. Vt cumque verò legamus, manifestum est te in toto illo Tertulliani loco declarando neque in Notis, neque in Confutatione, bonæ mentis, ac sani cerebri compotem fuisse. P. 135.

Salmasij cæcitas, & inscitia, qui Heliotropium Dioscoridis cærulei coloris contra Herbariorum omnium fidem esse pertendit.

TV in Heliotropij cæruleo flore tuendo, & hallucinatione tua peruicax eris, & te vltra sermone dignabimur? Sexcenta Plinij errata sunt in herbaria & Medica re, quæ docti Medici iampridem adnotarunt. Age scrutare P. 137.

ſis ῥιζοτόμων omnium, & Herbariorum volumina. Ego tibi celeberrimos nomino, Ruellium, Matthiolum, Dalecampium, Dodoneum, Marcellum Virgilium, Cornarium, omnes Dioſcoridis Interpretes: Dioſcoridem ipſum, qui Heliotropio florem tribuit λευκὸν ὑπόπυῤῥον, album ſuffuluum; non ὑποπόρφυρον, vt nugaris. Et quis te non rideat, qui cæruleum, & *azurinum* colorem affingis heliotropio? Herba hæc *verrucaria* dicitur à nonnullis, vulgò *herba cancri*. Conueniunt ei proprietates omnes, quas Heliotropio Dioſcorides, & Theophraſtus aſſignant: vt inter alia, quod circa Solſtitium florere incipiat; quod perpetuis ſit foliis; quòd flos ei ſit albus, & ſubfuluus. Idem & ſcorpiurum vocari, & ſcorpioctonon teſtantur illi, & inter alios Marcellus Virgilius; ſcorpiurum quidem à floris, vel ſeminis inflexione; ſcorpioctonon ab effectu. Cùm igitur tanta ſit eruditiſſimorum Herbariorum, ac Medicorum in eo flore cõſenſio, qui αὐτοψίᾳ, non ex Vocabulariis & Nomenclatoribus de florum coloribus, & proprietatibus iudicant, tu adeo profligatus ad impudentiã & Cynicam proteruiam eris, vt Heliotropij florem cæruleo colore depingas? Quod genus eſt iſtud herbæ, floriſque potin' dicere? Plinius ecce, qui imprudens, vt apparet, cæruleum putat eſſe florem, cætera cum iſtorum Herbariorum deſcriptione conſentanea refert, verrucariam alteri nomen, alteri ſcorpiuron eſſe. Proinde Ruellius, qui Plinij voce loqui conſueuit, cautè *cærulei* vocem præteriit lib. *III*. Cap. CLVII. Ad ſummam cùm Helio-

tropij nomen pluribus ac dissimillimi generis commune sit; proprium tamen est eius plantæ, quam Dioscorides, ex eoque cæteri describũt: cuius nemo cæruleum florem, nisi cæcus ad Salmasium, dixerit. Hac nominis ambiguitate deceptum credibile est Plinium, quod vni alicui ex amplissima τῶν ἡλιοτροπίων classe competebat, ad genus illud peculiare traxisse.

Salmasii cauillatio, & impostura.

ITane calũniari & cauillari non desines? Vbi dixi *recursare senectutem* esse *renouare*? Docui *recursare annos*, etsi vulgo minus vsitatũ, à Tertulliani stylo non abhorrere, pro eo quod est *denuo percurrere*, ac retexere, & nouum annorum auspicari, vitæque cursum. P. 144.

Ita σκαιῶς & συκοφαντικῶς illusisti in Tertulliani verbis; vbi de chamæleonte scribit: *capit & talis bestiola versiculum*. Talis, dixi, hoc est similiter mutans, non vt testudo: quod tuum, & absurdum est; sed vt alia, que antè commemorabat; serpens, pauus, hyæna, ceruus: vel certè *talis*, hoc est *tardigrada, agrestis, humilis, aspera*. quod melius & simplicius. Ita nihil correctione tua opus erit. Tu igitur stolidè malitiosus es, qui vt paucorum dierum inuidiam nobis compares, certissimam, & perpetuam tibi ex mendacissimis calumniis infamiam arcessis. P. 145.

Eiusdem ἀγραμματία.

P.146. NON potes efficere, quin putida & absona sit lectio illa Tertulliani, quam commentus es: *& (quod minutioribus multo licet) chamaleon (si pellicula) viuit.* Quod illud portentum constructionis? Itaque ad γραμματιστὴν relegandus es, cùm mirè sis ἀγραμμάτιστος, vt ne proprietatem quidem tui nominis intelligas. Nam ἀγράμματος est qui literas nescit: ἀγραμμάτιστος, qui ne γραμματιστῇ quidem operam dedit. In te cadit vtrumque. Nisi fortè pater tuus, à quo perdoctum te iactitas, γραμματιστὴς est: quod ego non putaueram. Deinceps igitur ἀγράμματον te, imo ἄλφα τῶν ἀγραμμάτων, vocabimus.

Salmasii hallucinatio in Sidonij loco. Antistes pro Episcopo.

AVde iam inficiari, quod tibi à me sæpius obiectum est; authores eos te non legisse, quorum testimoniis vteris: sed ex recentiorum Notis, & Lectionibus variis mutila, & di-
P.147. midiata sumpsisse. Clarissimè hoc Sidonij allatus à te locus ostendit; quo probare studes *Antistitis* vocem de simplicibus Presbyteris accipi. *Sidonius*, inquis, *de Presbytero:*

Antistes fuit ordine in secundo.

Nunquid caussabere, quin turpissima hæc hal-

lucinatio tua ſit, ſingulariſque leuitas, & ἀκειρία; Locus eſt è lib. IV, Ep. XI, qua Petreium de Claudiani eius auunculi morte conſolatur, qui ſancti Mamerti Epiſcopi Viennēſis frater fuit. Super Claudiani igitur obitu funebres Hendecaſyllabos Epiſtolæ ſuæ Sidonius intexens, inter alia prædicat ipſum, quod fratrem Mamertum Epiſcopali in officio ita ſubleuarit, vt quamuis Preſbyter tantùm eſſet, Epiſcopus ipſe quodammodo videretur. Apertè hoc ſequentia declarant:

Antiſtes fuit ordine in ſecundo,
Fratrem faſce leuans Epiſcopali.
Nam de Pontificis tenore ſummi
Ille inſignia ſumpſit, hic laborem.

Quis non videt iis ipſis verbis perſpicuè ſignificari, Claudianum non Pontificem ſummum, id eſt Epiſcopum, ſed ſecundi ordinis, id eſt Preſbyterum fuiſſe? Ita rectè Sirmondus; qui & Sauaronem, eruditè refellit, qui in eo loco perperam, quod ſine inuidia docti alioqui viri dictum ſit, Claudianum appellari Epiſcopum putabat. Verbo vltrà opus non eſt ad ea, quæ ibidem loci Sirmondus attulit. Tu verò cùm hac Sidonij verba in Sirmondi Notis primùm legiſſes, Sidonij autem Epiſtolam ne attigiſſes quidem, illius ſententiam approbaſti in ſtramentitio illo libro de Eccleſijs Suburbicariis, pag. 560. Scribis enim *rectè illum animaduertiſſe, apud Sidonium Apollinarem Preſbyterum vocari Antiſtitem ordine in ſecundo.* Quod ſi rectè ille ſcripſit; enimuerò verſatili es ingenio, qui id modo reprehendas. Atqui, quod extremi ſtu-

poris eſt, ne tum quidem, cùm Sirmondi ſententiam probabas, quid illa ſibi vellet aſſequebare. Nam contrarium tu ſenſum illius verbis affinxiſti. Neque enim Antiſtitem vocari à Sidonio Preſbyterum, ſed Epiſcopum ea voce ſignificari cenſuit: quaſi dicat, Epiſcopum in Preſbyterij gradu fuiſſe, hoc eſt Epiſcopi laborem in adiuuãdo fratre ſine inſignibus vſurpaſſe. De tanta ſtupiditate, & ἀπειροτεξίᾳ quid ſtatuendum ſit, tute ipſe iudex eſto.

Salmaſii Pſeudocritica. Deglubere non eſt floccos vellere.

P.149. TVte lepus es, Salmaſi, & pulpamentum quæris. Si tondere aſinos munus tuum eſt; quin tu tibi ipſi manum admoues, & faceſſis εἰς ὄνου πόκας; Riſi tuum illud *deglubare* pro *floccos vellere*. Cutem ita radere, & ξυρεῖν, vt ea deteratur, & abſcedat, eſt *deglubere*: at floccum vellere, non eſt hoc modo ξυρᾶν, neque deglubere. Itaque non congruit. Quod enim floccum tantum vulſerit Mercurius, ſcribis in Notis ad Tertull. pag. 163. *Floccus*, inquit, *ille lanæ, quem forte ex vellere arietis traxerat Mercurius, dum digitis deducitur, & torquetur, exiit in modum reſtis*. Quare cùm non haberes quo te verteres, ad ingeniũ rediiſti, & miſerũ illum arietem fœdè iugulaſti, ac deglubaſti. Non poteras floccũ vellere, niſi pellem infelici ouiculæ detraheres. Hæc imago eſt Critici tui inſtituti. Nunquam

næuos ab Authoribus abstergere conaris, quin eos iugules, & mutilos ex integris reddas. De cętero vide ne idèm in te, tuúmque corium exemplum edatur.

Εἴ κε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη δ' ἰθεῖα γένοιτο.

Tenus non est fascia. Inanes Salmasij argutiunculæ. Tertullianus exponitur.

ET τόνος fascia est, & *tenus* Latinè *fascia* non est; nisi authore id aliquo persuadeas. Futilis est λεπτολογία tua. Hoc caput est: Ostende Latinum aliquem scriptorem, qui *tenum* dicat esse *fasciam*. Vicisti. Quandiu non facies, stultus es, qui te fundum & authorem inusitati vocabuli satis idoneum putas. Quid argutaris filum vnum rete non esse? Nonne licet nobis, vt à te deglupta est ouicula, ita sæpius floccos lanæ vulsos à Mercurio dicere, vt cùm primò simplex filum eliquasset, mox idem repetens ex filis pluribus rete texuerit? Quis te autem docuit ante Mercurium, & lanæ, vel lini vsum, non ex philyra reticulata opera fuisse facta? Adeo κερυνοχυτρολήραιος es, vt in istis titiuillitiis implicatus hæreas. P.150. P.151.

Bombycem non ego, sed Tertullianus suo, non asini sagmarij ore loquens, dixit tendere per aërem opus suum, quod percurrit, & in tenui ac subtili adeo texto sic insistit, vt nullis scopis, & fulcris opus habeat. Scopi sunt ramusculi, vt Marsilius obseruat; vel etiam sco- P.152.

pæ. Vnde ſcopæ quibus euerrimus, quæ ex pluribus eiuſmodi ſcopis conſtant. Fulcra igitur non ad opus araneæ, vel bombycis, ſed ad animalculum ipſum referebam, quod vt orſa ſua diſtendat, nullis ſolidioribus adminiculis innititur, ſed in ſubtiliſſima ſcutula, ac reti conſiſtit. Quare friget argutatio tua, qui bombyces & araneas in Genethliacos & Mathematicos deformas, vt geneſin ex horoſcopis inquirant.

Salmaſii frigida παρευρήματα, & nugæ Grammaticæ.

P. 155. NOnne tibi fatuas, & aſininas vocum interpretationes extorquebimus? Perges verò *animare* ſimpliciter ad omnem colorem transferre, etiam languidum & mortuum? Atqui veriſſima ſunt, quæ te in Animaduerſis docuimus; animatum dici in vario rerum genere quicquid vegetum eſt, ac ſenſum ferit. Hoc modo in coloribus animare eſt, viuos colores inducere, non ſimpliciter colorare. Nemini hoc, niſi hebeti, & inficeto literatori venire poteſt in mentem; nemo, niſi perditi pudoris, bis in eo monitus offendet.

P. 156. Simile eſt ξανθίζειν πυρὶ, quod tu *torrere & coquere carnes* eſſe iuſſeras in Notis ad Tert. p. 205, quaſi carnes omnes dum coquuntur flaueſcãt. De pice quid tricaris? An non coqui dicitur? Vides vtrumque à nobis expreſſum; *torrere & coquere*; hoc verò certè de pice dici.

Salmaſij

Salmasii facetiæ.

TAndem etiam iocis, & facetiis assuescis. Multum Kerkoëtio debebit mater tua, quæ Salmasiolum suum ex agresti, & hispido elegantem & vrbanitate ac salibus condîtum recipiet. Non enim illepidè de Petauij nomine iocatus es; à petendis auibus ei nomen inditum. *Facetè, lepidè, lautè, nihil suprà. Tuum obsecróne hoc dictum erat?* Non iniuriâ hoc in illum iecisti. Nam clamoribus & lapidibus petere aues ac depellere instituit. Quas? noctuas, bubones, spinturnices, Salmasios, incendiarias; & lucifugas aues; tum gracculos, coruos; picas; χελιδόνων μουσεῖα, λωβητὰς τέχνης. καὶ τῶν δὲ διπλῷ Σαλμάσιον καλίστευν. *p. 157.*

De Serico veterum opinio non temerè damnanda. Salmasii oscitantia crassissima. Duplex bombycini genus apud Plinium. Lipsius ab illius reprehensione vindicatus.

ETiam tibi dico, ac te adeo, Salmasi! moneo, non temerè pulsandos veteres, qui sericum ex arboribus depecti, nullis vermibus texentibus, rati sunt. Quem enim tu habes v-

ſum rei iſtius; aut vndenam, niſi è libris, quid de ea re ſentires hauſiſti? Pleriſque hoc antiquorum placuit. quod & eruditiſſimus Lipſius Comm. ad II Ann. Taciti amplexus eſt, ſericum id eſſe propriè, quod ex arboribus depecterent; bombycinum quòd à vermibus fieret. Plinius lib. XI Cap. XXII & XXIII duplex genus telæ, vel texti bombycini diſtinguit. Primùm ex Aſſyria bombyce fiebat, ex quo tralucentes veſtes ad vſum fœminarum. *Prima eas* (telas) *retorquere, rurſuſque texere inuenit in Ceo mulier Pamphila Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, vt denudet fœminas veſtis.* Hæc Plin. Cap. XXII. Genus alterũ bõbycini ex Coa bõbyce. Inde veſtes, quas & viros vſurpare nõ puduit. *Aſſyria tamen*, inquit, *bõbyce adhuc fœminis cedimus.* Ita Cap. XXIII. Prior ſerici ſpecies Aſſyria propriè dicta, ex qua tranſlucentes fœminis veſtes. Eadem & Coa, quod in Co inſula nema ex Aſſyriis allatum retorqueretur. Hæc tu non malè. Sed illud peſſimè, quòd pag. 195 Notarum, poſtquam caput illud Plinij XXIII explicuiſti, ita concludis. *Hactenus Plinius de bombycibus Cois, ex quibus veſtes pellucidæ, Coæ, & bombycinæ dictæ tam viris quàm mulieribus olim communes efficiebantur.* Tu qui aliorum μνημονικὰ σφάλματα gladiatoria ſica perſequeris, quomodo inſignem hanc oſcitantiam, & ſupinitatem excuſare poteris? Nam ne literam quidem vnam ex eo Plinij capite proferes, qua pellucidas veſtes ex bombyce illa Coa fieri ſcripſerit. Ex Aſſyria quippe ſola quæ texebantur, tralucentes erant, ideóque

fœminis relictæ: vt in fine cap. XXIII disertè Plinius refert. At ex posteriore illa Coa, quam scilicet bombyx in Co, vt ait Plinius, nata neuerat, nòn pellucidæ vestes fiebant, quas ideo & viros vsurpasse scribit. Proinde meritò in Animaduersis nostris reprehensus es, quòd cùm ex bombycinis Cois, de quibus Cap. XXIII Plinius loquitur, tralucentes fieri vestes pag. 195. scripsisses, posteà pag. 203. eandem bombycinam Coam dixeris à viris vsurpatam, cùm interim Assyria mulieribus relicta foret, eásque nudaret. quasi non & Coam viros nudasse antea docueris: quòd tamen falsum est, & ex Plinio à te contra Plinij mentem & sententiam iniectum. Nam si Coa etiam illa bombycina viros nudabat; quare mulieribus relictam dicit Assyriam, quæ ipsas nudaret? Plinius idem lib. VI Cap. XVII Seras *perfusam aqua frondium canitiem depectere* scribit, ex qua vestes ad vsum matronarum pellucidæ texantur. Idem de serico isto, quod de Assyria bõbycina prodidit. Nam & *redordiri fila fœminas, rursumque texere* dicit, *vt in publico matrona traluceat.* Quocircà si non verum (neque enim obscura de re more tuo pronunciare temerè pudor meus patitur) certè verò proximum est, duplex apud antiquos genus fuisse serici: alterum quod ex arborum canitie texebatur; Nam & apud Indos, hodieque ex eiusmodi arborum, herbarúmque lanugine texta fiunt: Alterum quod bombycis opera nebatur. Prioris generis fuisse suspicor Assyriam illam bombycinam, quam ex hallucinatione Plinius scri-

bit ab ea bombyce fieri, quæ ad vesparum genus pertinet: quam & ceras facere scribit. Quanquam in vetusto codice *cellas*, non *ceras* legere memini. Serica ista tela longe altera subtilior erat, ex eaque retorta, ac retexta sericæ illæ tralucentes erant, quæ solis matronis relictæ. Hoc serici genus ignotum hodie, vt & alia quamplurima. Nec ideo tamen cõsequens est falsos esse veteres illos, qui serica ex arboribus pecti vellera memoriæ prodiderunt. Ac tametsi sericum propriè de Medico illo & Assyrio, quòd Seres carpsisse ferunt, vsurpetur, postea tamen obtinuit vsus, vt promiscuè bombycina cum sericis acciperentur. Ita & verum illud erit, quod eruditissimus Lipsius obseruabat, qnoties pellucidam vestem legimus, de Serica, vel Coa intelligi debere.

Not. Tertul. p. 195. Et tu sciolus Grammatista perperam summum illum virum notasti, *quod*, inquis, *sericas nondum viri tunc vsurpabant, quas fœminis relinquebant, sed solas bombycinas ex bombyce Coa.* Atqui pellucentes etiam vestes Creticus ille à Iuuenale derisus induerat: ex Coa verò bombynina, quam Plinius cap. illo XXIII, quod citas, descripsit, pellucidæ non fiebant. Restat igitur, vt à Satyrico insigniter iste mollis & effœminatus perstrictus sit, quod muliebres, & indecoros viris cultus affectaret. Disce iam in moroso illo, & scabioso Scholio, de Sericis vestibus, quo Lectores tuos enecas, quàm multa stupidè & imperitè profuderis. Sanè perplexè, obscurè, putidè garris, & Grammaticis etymologiis, vocularum quisquiliis, & id

genus λεπτολογίας illîc nos detines, ne quid certi ac liquidi perſpici poſſit. Cauſſa huius in ſcribendo vitij, quòd copiam & vbertatem, non veritatem, non ordinem, non σαφήνειαν conſectaris. Inde inter cætera non iniuria reprehenſum & illud eſt, quod pag. 203, cùm de ſericorum vermium ex Indiis in Europam tranſuectione, quæ Iuſtiniani tempore contigit, multa narraſſes, ſubinde καθόλου & nimis vniuersè dixeris, ſericum ſolas vſurpaſſe mulieres, quòd ego vnius, quem tum forte legebam, Chryſoſtomi teſtimonio confutare ſatis habui, ne in re trita, & peruagata, quòd tu factitas, pluribus coaceruandis authoritatibus otio & patientia lectoris abuterer. De Scaligero non valde pugnabo tecum. Habe hunc ſanè ſuffragatorem. Quid enim ſentiat, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Quanquam ita vti ſcripſeram, ſentire illum, authores aliquos habebam.

Salmaſii inſolentia.

AIn' tu bipedũ, quos vnquam viderim, inſolentiſſime! quia ex Tertulliani quatuor Interpretibus, duo id, in quo reliquos erraſſe vis, tacuerint, ideo te ſucco iſto loliginis merito illos adſpergere? *Qui volunt Tertullianum hoc velle, egregiè falluntur. Hæc tamen mens eſt omnium Tertulliani Interpretum ad hunc locum, longè ab authoris mente diſſita.* Quæ eſt iſta ſtyli ſcabies? quæ obtrectandi, maledicendique prurigo? Ergo quicquid tacueris, neque in alterutram partem quid cenſeas oſtenderis, P.164.

id in deteriorem scilicet interpretari, teque malè sentientibus fas erit adscribere: Vide quàm in te legem statuas. Quanquam nihil hac in te necesse est vti. Affatim est in iis, quæ disertè pronuncias, vnde vapules.

Salmasii sycophantia.

P. 168 QVæ malum hæc impudentia, & stultitia est, ea reprehendere, quæ non intelligas? Ita ego in Tertulliani capite quarto initio, si quid opus esset, corrigenda ista dixeram. *Quid nunc si est Romanitas omnis alia, nec honestis tamen modis Græci estis?* Quid si, inquit, in cęteris omnibus Romanitatem, id est Romanos ritus, & cultus amplexi, in quibusdam tamen parum honestis moribus ac studiis Græcos imitamini? Hanc meam inrerpretationem cũ pag. 167 posueris, quibus deinde furiis agitatus sequente pagina id obiicis? *Vbi verò in iis, quæ præcedunt, dixit, aut vno verbo tetigit, Romanitatem aliam nunc esse, atque olim fuerit?* Adeone marrucinus, & plumbeus es, vt contrarium plane sensum à me allatum non videas? Non dixi, ὦ ἐμβρόντητε, Romanitatem esse aliam, id est diuersam, & mutatam; sed aliam, id est cæteram Romanitatem esse in Pœnis. Quasi dicat, si in aliis rebus planè Romanitatem exprimitis. Vbi tuum iudicium, homo futilissime? Ecquid cæcitatis & ἀχρειότης iam pudet? Sanè cùm ista scribebas, plus æ-

quo te apud gregales tuos inuitaueras. Rursum narro tibi, quòd ascribis Tertulliano, *Romanitas est omni salus*, putidum & barbarum est.

Salmasii κακόηθες mendacium: stupor, qui male senescere putat idem esse ac repuerascere.

O κακοήθειαν, ô impudentiam! Tune mendaciorum pater, & artifex, scribere ausus es, negasse me, *male senescentem* Latinè dici, pro *non senescente*? Verba mea sunt Animad. pag. 64. *Malè senescentia, quæ iuuenescere incipiunt appellari, non modò Latinitas nulla, sed ne communis quidem sensus patitur.* Igitur *malè senescere* pro *iuuenescere iterum*, quod tu apud Tertull. pag. 215 exposuéras, brutum est, & scutica dignum. Aliud est iuuenescere, aliud ægrè senescere. Quis Latinè vnquam dixit, aut dici credidit, *malè senescere*, pro *repuerascere*? Monstrum est locutionis, & asinini cerebri ἀλλόκοτον κύημα. P. 169

Tertullianus expositus, & Salmasii correctio reiecta.

P. 170 ALiquo *Numidas;* pro *aliquatenus Numidas,* & *Numidis propinquos*, affectatum est. Poteras si quid corruptelæ esse suspicareris, vocem, *Numidas*, à glossemate profectam dicere. Ita plana erunt omnia. Neque tamen mutandi contextus author fuerim; in quo scelus inexpiabile perpetrasti. Sed coniecturam adnotasse sufficiat.

Quid sit πίνος & πεπινωμένος λόγος explicatum, deque eo Salmasii stupor. Triplex dicendi genus expositum ex Halicarnassensi.

P. 173 ENimuero, Salmasi! nimis difficilem prouinciam suscepi, nouum vt illud fimetum tuum euerrerem. Ecce quantam hactenus illuuiem ac spurcitiem absterſimus: cuius illutibilis ac teterrimus odor nares nostras oppleuit. In mediocri hac mole libri inexhausta quædam vis inscitiæ; stoliditatis, ἀκρισίας, rusticitatis, immanitatis, inuerecundiæ caninæ, ac bruti, desperatique stuporis, reliquarum denique id genus virtutum, quibus egregiè ornatus es. Nunc

Ογὰς

Οὐ γὰρ ἔθ' οἷός τ' εἰμ' ὑπερέχειν τὴ αἰτλίας·
Αὐτὴν ἄρ' οἴσω προσλαβὼν τὴν αἰτλίαν.

Reuera in hoc capite, quo de Rhetoricis dicendi generibus, deque πίνῳ & antiquitatis charactere plenis paginis, & morosa oratione disputas, sentinam mihi tuarum omnium sordium ac retrimentorum collocasse videris: adeo quæ in cæteris Confutationis partibus fusa ac dissipata sunt lumina illa, quæ dixi, ingenij orationisque tuæ, ea sunt illo ipso loco congesta, in vnúmque contracta. Missa facio leuiora illa, quæ in verbis & vocabulis identidem peccas; velut, quod τὸ πῖνος sæpius vsurpas, quasi non esset ὁ πῖνος, vel πίνος, ac τὸ πῖνος neutro genere Græcè diceretur: quod tu nimium sæpè, & ea quidem constructione facis, vt Librario imputari facinus illud non debeat. Facinus enim, & in homine Grammatico non leuius est, syllabæ, atque voci, quàm parenti manus inferre. Caussam dices apud alios, cur *hoc πῖνος* dixeris pag. 175; item pag. 176: *Quod autem scribis austeritatem, ac πῖνος palæstræ minimè conuenire.* Tum pag. 180, *πῖνος ἀρχαϊκὸν in oratoribus antiquis quum toties laudat Dionysius Halicarn.* nec non pag. 181, citra vllam excusationem; *cui & πῖνος illud ἀρχαϊκὸν ascribit.* Ad hæc pag. 184, τὸ πῖνος, & εὐπινές. & pag. 187, ἀπὸ τοῦ παλαιστρικοῦ πίνους. Horum tibi nos, qui Grammatici non sumus, gratiam facimus. Alia sunt multo atrociora & fœdiora, quorum à me postulandus es: quæ antequam profero; τὸ κρινόμενον, & quæstionis statum exponam breuiter. Errasse viros doctos in Notis

pag. 234 ſcripſeras, qui πίνον orationis aiebant antiquitatis illum eſſe ſitum, & ſquallorem, ac veluti χνοῦν, & mucorem ſeu lanuginem, quæ ſit eius, vnde eſt orta, vetuſtatis index. E contrario verò tu ab oleo palæſtrico, & à xyſticis ſordibus, quibus inuncti palæſtritæ cutem ſoli coquendam, & colorandam exponunt, πίνον ad orationis ἰδέαν tranaſlatum autumas. Quoniam igitur πίνου vocabulo maximè omnium vſus eſt Dionyſius Halicar. eiuſque vim ac notionem præ cæteris expreſſit, poſtquàm nonnulla, quæ ad rem pertinent, ex eo præmiſero, tum ad tuas ſordes, & illuuiem palæſtricam veniam, ac te pueriliter & ἀμαθέστατα longa in diſputatione iſta verſatum eſſe planè conuincam.

Dionyſius Halicarnaſſenſis Lib. περὶ συνθέσεως, pag. Edit. Vechel. 22 triplex genus diſtinguit orationis, triplicemque ſtructuram, & ἁρμονίαν ὀνομάτων. Prima eſt αὐστηρὰ, ſecunda γλαφυρὰ, ſiue ἀνθηρὰ, tertia κοινή. Structura, ſiue σύνθεσις αὐστηρὰ ad auſterum, & archaicum eloquentiæ genus refertur, quod ſcabrum, aſperum, & plerumque impolitum eſt. Huius enim eſt τραχείαις χρῆσθαι πολλαχῆ, καὶ ἀντιτύποις ταῖς συμβολαῖς, οἷον γίνονται τῶν λογάδην συντιθεμένων ἐν οἰκοδομίαις λίθων αἱ μήτε εὐγώνιοι, μήτε συνεξεσμέναι βάσεις, ἀργαὶ δέ τινες, καὶ αὐτοσχέδιοι. Proinde ſtructura, nominumque compoſitio inæqualis, & aſpera; cuiuſmodi impolitorum eſt lapidum. Numerus debet eſſe grandis, & maieſtatis plenus; membra εὐγενῆ, καὶ ἁπλᾶ καὶ ἐλεύθερα, libera & ſimplicia, citra fucum, & artem, φύσει

τ' ἐοικέναι μᾶλλον αὐτὰ βούλεται, ἢ τέχνῃ, καὶ κατὰ πάθος λέγεσθαι μᾶλλον, ἢ κατ' ἦθος: *Vt natura potius, quã arti similia sint, & ex affectu grauiore dicta magis, quàm ex leni ac sedato, videantur.* Pergit idem, & structuram generis istius ait esse ὀλιγοσυνδεσμον, ἄναρθρον, ἐν πολλοῖς ὑπερόπτικὴν τῆς ἀκολουθίας, ἥκιστα ἀνθηρὰν, μεγαλόφρονα, αὐθέκαστον, ἀκόμψευτον, τὸν ἀρχαϊσμὸν, καὶ τὸ πῖνον (cor. πὶν) ἔχουσαν κάλλος: *Paucas in oratione copulas esse, articulis carere, abruptam esse, & consequentiam negligere, minimè floridam; magnificam, seueram ac rigidam, sine fuco; cuius decor est archaismus & antiquitatis ille situs.* Huius generis principes fuere ex Epicis Poëtis Antimachus, & Empedocles; inter Melicos, Pindarus; inter Tragicos Æschylus; inter Historicos Thucydides; inter Politicos oratores, Antiphon. Cuiusmodi porro dicendi genus illud fuerit, præclarè Cicero aliquot in locis exposuit: vti in Bruto. *Quibus temporibus*, inquit, *quod genus dicendi viguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tùm fuit, intelligi maximè potest. grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breues, & ob eam ipsam caussam interdum subobscuri.* Idem docet lib. II. de Orat. vbi oratores istius generis fuisse refert, *subtiles, acutos, breues, sententiis magis, quàm verbis abundantes.*

Alterum genus orationis est γλαφυρὸν, καὶ ἀνθηρὸν, elegans, & floridum; cuius structura & compages exquisita & elaborata debet esse, & artificij studiique plenissima; vocabula ipsa mollia, iucunda, εὔφωνα, λεῖα, μαλακὰ, παρθενωπὰ, id est ad virginalem castigata verecundiam.

Nihil ibi aſperum, hiulcum, & ſcabrum: nihil audax, & cum periculo dictum. Periodis conſtat affabrè tornatis, & ad amuſſim exactis, aptéque cadentibus. σχήμασί τε οὐ τοῖς ἀρχαιοπρεπεστάτοις, οὐδ' οἷς ἡ σεμνότης τις, ἢ βάρος, ἢ πῖνος πρόσεστιν· ἀλλὰ τοῖς τρυφεροῖς, καὶ μαλακοῖς ὡς τὰ πολλὰ χρῆσθαι φιλεῖ, ἐν οἷς πολὺ τὸ ἀπατηλόν ἐστι, καὶ θεατρικόν. *Figuris non antiquitatem maximè redolentibus vtitur, aut in quibus maieſtas quadam & grauitas, aut ſitus ineſt, & ſquallor; ſed delicatis, & mollibus; quibus lenocinium ineſt, & quiddam ad theatra, & oſtentationes aptum.* In eo genere primas ex Epicis ſibi vendicat Heſiodus; ex Melicis, Sappho, poſt hanc Anacreon, & Simonides; Tragicorum Euripides; Hiſtoricorum præcipuè Ephorus, ac Theopompus; ex Oratoribus Iſocrates.

P. 27. Tertium genus intermedium ex vtroque conflatum, quicquid eximium ac præſtans ineſt vtrique, colligit, & exprimit. Princeps in eo inter Poëtas Homerus extitit; inter Melicos, Steſichorus, & Alcæus; è Tragicis Sophocles; Hiſtoricorum Herodotus; Oratorum Demoſthenes: è Philoſophis Democritus, Plato, Ariſtoteles. Hæc Dionyſius; quibus ſimillima ſunt, quæ Hermogenes Lib. I. περὶ ἰδεῶν diſputat, præſertim vbi agit περὶ τραχύτητος, & περὶ κάλλους.

Ex iis euidentiſſimum eſt πῖνον illum, de quo quæritur, proprium eſſe grandioris illius & antiquioris orationis, cuius character erat τραχύτης, *aſperitas*, & *auſteritas* illa, quæque artificij expers ac naturalis videri vellet, quaſi ex im-

petu profuſa, non arte, & ſtudio perpolita: contra verò ab eo genere, quod comptum elegans, ac venuſtum fuit, πῖνον abhorruiſſe.

Salmaſii Arcadica, & ſtupidiſsima hallucinatio in Dionyſii Halicarnaſſenſis verbis.

HÆc longius, præterque morem noſtrũ, tuo autem ex inſtituto diſputata mirificam, prodigiosámque tuam inſcitiam, & iudicij inopiam vltimam luculenter oſtendunt. Hoc inſuper arguunt, te Dionyſium neque antea conſuluiſſe, & cùm te aduerſum nos accingeres, raptim ac celeriter ſumma quæque libaſſe; neque integram illius orationem, aut antecedentia, conſequentiaque vel legiſſe, vel intelligere potuiſſe.

Prima illa, & aſinina tua ſtupiditas eſt, quòd Dionyſium ſcribis *πῖνον illum antiquæ Rhetoricæ, quæ fortis erat, & maſcula, multúmque arti, & exercitationi debebat, cum illa ſuorum temporum Rhetorica conferre, quæ nulla arte conſtabat, ſed ſolo impetu. extemporalitate quippe tunc plurimùm gaudebant. fundebant itaque, non dicebant.* Te ipſum appello, Salmaſi! per fidem tuam; hæccine cùm ſcriberes, Dionyſium legeras, aut apud te eras, aut vigilabas denique? Ergone Dionyſius πῖνον illum, & genus ipſum Rhetoricæ, cui congruit, opponit ſuorum temporum Rhetoricæ? Dic mihi, quo tandem ſeculo P. 17.

censes vixisse Dionysium? Nonne Imperatoris Augusti temporibus? At πόνον illum, eiusque proprium genus orationis, quod Thucydidi tribuit, opponit ei generi, quod Isocrates, Ephorus, ac Theopompus, Euripides, Anacreon, Simonides, Sappho, Hesiodus adsciuerunt? Num istos putas Dionysij, vel Augusti Cæsaris ætate vixisse? Quid ei stupori simile aut secundum? Dic aurite & clitellarie κάνθων, quo tempore vixit Hesiodus, vt de Sapphone, Euripide, & Isocrate taceam? Sunt qui æqualem illum Homeri faciant; plerique supparem. Et hic, & eorum multi, quorum dissimili stylo πόνον opposuit Dionysius, ante Thucydidem, Æschylum, & Pindarum floruerunt, quorum proprius est πόνος. Deinde tu genus illud, cuius proprius erat πόνος, *multum arti, & exercitationi debuisse* censes, contra alterum, à quo πόνος alienus est, nulla arte constitisse, imo ex tempore profusum. Piget asinitatis. Amabo te, Grammatice, Euripides sine arte vlla scribebat, aut ex tempore fundebat? quem quidem anxiè & ægrè plerumque versus scripsisse, ita vt vno die paucissimos ederet, author est Ælianus. Quid? Isocrates, cui ex oratoribus primas defert Halicarnassensis in eo genere, quod à πόνῳ recedit, & priori opponitur, num artem nullam & laborem adhibuit, aut ex tempore dictauit? Atqui in vna, nec adeo longa oratione decem, vel, vt aliis placet, quindecim annos consumpsit. Is est Panegyricus; in quo, vt & cæteris illius Orationibus, numerorum, præsertim diligens, & nimis

enucleata ratio, quantum in ea re ſtudii operæque collocarit, oſtendit. Itáne porro perfunctoriè Dionyſium legiſti, vt non animaduerteres, ei generi, cui πίνος non congruit, propterea quod auſtero illi, & archaico contrarium eſt, hoc velut proprium attribui, vt laborioſam in numeris, ornatuque reliquo orationis & ſcrupuloſam diligentiam requirat? Οὐ μόνον δὲ τὰ ϛόματα τοῖς ὀνόμασιν ἐπιτηδείως συνηρμόσθαι βούλεται, καὶ συνεξέσθαι, ἀλλὰ καὶ τὰ κῶλα τοῖς κώλοις συνυφάνθαι, καὶ πάντα εἰς περίοδον τελευτᾶν. Accedunt & ἁρμονιῶν ἀκρίβειαι. Credo quibus ſingulæ propemodum appendendæ voces erant, & tam ſuperſtitiosè componendæ; quibus in orbes ac periodos numeroſè & orientes, & cadēſes dirigendæ ſententiæ; quorum in reliquo contextu orationis tam limata ſubtilitas fuit, aut ſine arte illa pręſtabant; aut euomere ex tempore orationes iſtiuſmodi tam affabrè factas, tam perpolitas poterant.

Eiuſdem cætera de eodem argumento ridicula. palæſtra pro concinnitate.

ATenim palæſtram habuit, & exercitationē illud ipſum genus, in quo πίνος, & χνοῦς ἐπιπολάζει: Tum palæſtra ad mollitiem & iucunditatem minimè conuenit. Nam è contrario *vires, ac robur corporis maximè augebat palæſtra. Hinc illa pugilicè valere, pro optimè valere.* Hæc ſunt quibus probas Rhetoricæ generi il- p.176.

li, quod πίνου τῆς ἀρχαιότητος, & χνοῦ vredolet, palæstram nitoremque conuenire, & vel artificiosissimum fuisse. Miseret me inscitiæ. Tu quid palæstra sit, quid naturale, quid artificiosum genus cùm hæc dicis animo concipis? Palęstræ vox, ὦ μαμμάκουθε, varia & diuersa significat. Primò ludum ipsum, & gymnasium, vel magisterium, atque disciplinam. Hoc sensu genus illud austerum, & archaicum non sine magistro, disciplina, & exercitatione constabat. Aliàs palæstra nitorem quendam, elegantiam, concinnitatem, & in gestu motuque corporis venustatem significat. *Vt qui pila ludunt*, (ait Cicero lib. 1. de Orat.) *non vtuntur in ipsa lusione artificio proprio palæstræ, sed indicat ipse motus didicerintne palæstram an nesciant.* Idem in Oratore ad Brutum; *Vt enim athletas, nec multo secus gladiatores videmus, nihil nec vitando facere cautè, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quandam: vt quidquid in his rebus fiat vtiliter ad pugnam, idem ad aspectum etiam sit venustum.* Hoc igitur palæstra significat, venustatem & concinnitatem in mouendo conformandóque corpore. Hinc & ad orationem transfertur. *Itaque* (pergit ibidem Cicero) *qualis eorum motus, quos ἀπαλαίστους Græci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias.* Antea verò de numero loquens: *Itaque serius* (ait) *aliquanto notatus, & cognitus quasi quandam palæstram, & extrema lineamenta orationi attulit.* Vides palæstram pro lepore, & concinnitate sumi; cuiusmodi ab archaico illo, cui πίνος competit, genere abhorret.

abhorret. Itaque vix dici poteſt, quàm ridiculè, imperitéque miratus ſis, & in nos etiam calces eliſeris, quod generi illi nitido & polito palæſtram tribueremus. Nam doceri te poſtulas, *quis ſit ille character, cui palęſtra* ἐπιπολάζει. *& an aliquis ſit dicendi character palæſtricus propriè dictus*. O brutum ſtupidumque pecus! Quære à Cicerone, & *per Deum immortalem* obteſtare, ecquid palæſtram eſſe putet, quam orationi numerum illum artificioſum ſerò tandem conſciuiſſe dixit. Neque verò mirum te quid palæſtra in oratione eſſet ignoraſſe, qui ἀπάλαιστος ſis, inurbanus ac vaſtus; &, quo nihil aptius in te dici poſſit lycanthropicè, ac ſine vllo lepore & humanitate ſcriptites. Proinde ἀρχαϊκὸν γένος, quod ornamentis iiſce dicendi ac lenociniis careret; ac minus affectatum eſſet, naturale quodammodo nominatur: non quod omnis penitus artis eſſet expers; quod tu craſſè nimis, & imperitè colligis. Nam & artem, vt illis temporibus, habebat aliquam, & præceptis vtique, rudibus ſaltem, inchoatiſque conſtabat, vt ſunt artium omnium initia minus perfecta. Sed ſi cum altero compares, cuius longe exquiſitius erat artificium, operoſiorque ſtructura, prius illud naturale, ac ſponte fuſum; hoc artificioſum appellari meruit. Quod apertiſſimè Dionyſius nos docuit illis verbis, quæ ſupra retulimus; vt cùm ſcribit antiquum genus, & αὐτοφυεῖ φύσει μᾶλλον ἐοικέναι, ἢ τέχνῃ.

At etiam falli nos putaſti, quod ipſummet genus orationis, cui palæſtram, & artificium illud, ac lenocinium tribuimus, crediderimus

esse ἀπατηλὸν illud, ac θεατρικὸν, τρυφερὸν καὶ μαλακὸν; quod Dionysius appellauit. Quę tua castigatio plena vecordiæ, & ἀκρισίας ac κορύζης tuæ index est certissima. Dionysius enim, vt paulo antè docui, istud ipsum genus γλαφυρὸν, & ἀνθηρὸν, *floridum elegans, ac scitum*; quod artificij lenocinium, eamque, quam Cicero vocat, è numeris palęstram, & concinnitatem desiderat, vocat ἀπατηλὸν, θεατρικὸν, τρυφερὸν, καὶ μαλακόν, quod αὐστηρῷ, & πίνον ἔχοντι ex aduerso respondet; atque ideo πίνον, & χνοῦν repudiat.

Pergitur in aliis ad eandem ὑπόθεσιν *hallucinationibus Salmasii.*

QVod te Dionysij Halicarnassensis librum illum, quem citas, nego legisse, sed pauca tantùm verba, quæ ad rem tuam pertinere sola credideras, ex Indice quæsita percurrisse dico leuiter, planissimè probant ea, quæ tu mihi deinceps obiicis. Sed bestiam audiamus sua verba resonantem. *Tu qui hac voce* (nempe πίνου) *austeritatem, & squallorem significari tantùm putas, scisne de quibus oratoribus, aut de qua oratorum ætate Dionysius intellexerit, dum πίνον ἀρχαϊκὸν passim nominat? imò id plane ignoras. atquin scias non de vetustioribus Rhetorum temporibus loquutum Halicarnasseum, quàm quæ Platonem, Isocratem, Demosthenem, & reliquos decem oratores tulerunt. his ipsis oratoribus τὸ πίνος illud idem tribuit. Nunc quæro abs te, an censeas, austero illo, & squallido,*

& horrido dicendi genere tantùm vsos fuisse Demosthenem, Isocratem, Xenophontem, & cæteros, quos dixi. Si tu Dionysium ipsum legisses, aut aliunde, quàm ex Lexicis, & Vocabulariis, siue aliorum Notis, & Commentariis, illius verba prõpsisses, non tam fatuè nos interrogares. Dic hominum, quantum spirat hodie, stupidissime, & audacissime, nonne Dionysius αὐστηρὸν genus merum & sincerum Thucydidi, Antiphonti, & ex Poëtis Æschylo, Pindaro, & aliis assignat, quos πίνον, & χνοῦν τῆς ἀρχαιότητος ἀκόμψευτον, miniméque floridum vsurpasse dicit? Nonne Isocratem velut exemplar inter oratores attulit γλαφυροῦ γένους, καὶ ἀνθηροῦ, *floridi*, ac *venusti*? Nonne postremò πίνον & χνοῦν, τῆς ἀρχαιότητος, longe ab hoc genere abhorrere ipsissimis verbis ostendit? Relege quæ antea ex authore illo descripsimus; & tuam apud te cæcitatem, ac plumbei cerebri vertiginem obstupesce. Tu Isocrati ab Halicarnassensi tribui χνοῦν, & πίνον τῆς ἀρχαιότητος impunè scripseris? Age quod non Isocrati solùm (quod ipsum asininum est) sed etiam Platoni, ac Demostheni scribis τὸ πίνος *illud idem* à Dionysio tribui. (Ita enim homo Atticus elegantissimè loqueris) falsum est, si perinde adscribi putas, ac Thucydidi, cæterisque, qui merum & simplex genus αὐστηρὸν secuti sunt. Quippe Demosthenes ac Plato mixtum, & ex vtroque temperatum, austero, & florido, genus amplexi sunt; ideoque πίνον, & χνοῦν τῆς ἀρχαιότητος non καταχόρως ac penitus, sed altero genere implicatum, ac venustatis lepore condîtum adamarunt. De Pla-

tone in libro περὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος, scribit. ὅ τε πίνος αὐτῇ, καὶ ὁ χνοῦς ὁ τῆς ἀρχαιότητος ἠρέμα καὶ λεληθότως ἐπιτρέχει. *Situs ille vetustatis, & squallor in eius oratione paulatim se & latenter insinuat.* De Xenophonte hoc quidem loco non meminit, vbi triplex illud genus distinxit, nec in vlla classe reposuit; sed eundem tamen antea docuit ἡδέως μὲν γράφειν, ἀλλ᾽ οὐ καλῶς. contrà Thucydidē & Antiphontem, καλῶς μὲν, ἀλλ᾽ οὐχ ἡδέως. cùm Herodoti cōpositio ambobus istis prædita sit. καὶ γὰρ ἡδεῖά ἐστι, καὶ καλή. Redeo ad Isocratē, quem pagina quoque *185* crassissimo & piaculari prorsus errore, quia nitidus à Quintiliano vocatur, πίνον habuisse concludis. Quæ prodigiosior ἀκρισία, quæ inscitia desperatior? *Isocrates*, ait Quintilianus, *in diuerso genere nitidus, & comptus, & palæstræ, quàm pugnæ magis accommodatus.* Nitidum & comptum putas esse πεπινωμένον. Non tu literas abiicis, & te aliquô in pistrinum abripis, vbi in sordibus, & πίνῳ perpetuò delitescas? Túne, ô Arcadici columen generis! Isocrati πίνον, & χνοῦν τῆς ἀρχαιότητος adiudicas? Tu id ex Dionysij authoritate putas effici, qui ab illo ipso πίνῳ tam longè Isocratem, totumque illud Isocrateum ac Theopompeum genus seiunxit? Tu etiam Theophrastum in eundem πίνον includis? Breuiter dico; Multa multorum in literis extant grauiora nonnunquam errata: sed ex quo artes illæ, disciplinæque in hominum manus traditæ sunt; qui tam supinè, tam stolidè communem ad sensum offenderet neminem hactenus mortalium fuisse confirmo.

Salmasii immane quantum absurda sententia super voce πίνος.

SEd leuia ista sunt, præut est absurditas interpretationis, opinionisque tuæ. Quid enim tandem πῖνον esse statuis? πῖνος, (ais) *nitor est palæstricus ex oleo & sole contractus*. Idem & in Notis ad Tertull. pag. 233 scripseras: *Nitor, & elegantia, quæ ex arte, πῖνος appellatur*. Iam hoc extremę imperitiæ ex Dionysio conuicimus; qui genus illud, quod nitore & elegantia plurimùm antecellit, quodque exquisitissimo artificio constat, à πίνῳ tam alienum facit, quàm quod maximè: è contrario verò, genus illud alterum, quod austerum vocat, quodque orationem structuramque suam φύσει ἐοικέναι μᾶλλον, ἢ τέχνῃ, *ad naturam potius accedere, quàm ad artem* studet, familiarem habere eundem πῖνον asseuerat. Vides quàm bellus & ingeniosus sis Criticus, quamque Dionysium feliciter interpreteris, qui πῖνον nitorem & elegantiam esse dicis arte quæsitam; cùm ibi, vbi summus nitor & elegantia est, πῖνον ille Scriptor esse nullum doceat; vbi venustas & nitor nullus est, ibi præcipuè πῖνον agnoscat. p. 182.

Verùm tuas illas sordes, impurissime Salmasi! ac fœditatem ingenij tui modò scrutemur. Obsecro te, quis vnquam ita delirauit, vt πῖνον nitorem, & elegantiam esse diceret? Quid ineptius? quid iocularius? quid amentius, quã

quod ex te primum auditum est, *πῖνον* palæstricum esse nitorem? *πῖνος* sordes, illuuiem, squalloremque significat. Superuacuum est exempla conquirere. Has tu sordes, illuuiem istam nitorem, elegantiam, & munditiam appellas? Nimis apertè Cynicus es: imo canis, & si quid cane spurcius ac fœdius est, quod in cœno lutoque volutatur. Iam iam mirari desino, cur tu *retrimēta*, *stercora*, *scarabeos*, in ore tam assiduè reuoluas, nulla vt in nos tela, quàm quæ inde petita sunt, frequentius vehementiusque contorqueas. Nimirum putent scarabeis, & *σκατοφάγοις* animalibus vnguenta; & eadem in cœno, ac Cloacinæ delitiis libentius consistunt. Sanè *πῖνος* sordes, vti dixi, illuuiemque significat, neque cùm ad palæstram, atque athleticam transfertur, aliud sonat, quàm sordes, quæ ab vnctorum oleo corporibus strigili deradebantur, qui *γλοιός* propriè vocatur. Quamobrem si *πῖνον* & *πεπινωμένον* à palæstra ad oratorium negotium traductum esse censeas, nihil erit *πεπινωμένος λόγος* aliud, quàm sordidus, & illuuie obsitus sermo. Nitorem autem & elegantiam apud illos solos exprimet; qui canini ac suilli more pecoris lautitias suas, ac delitias in oleto fimoque constituunt.

Explicatum accuratè quid sit πῖνος, & in quo positus.

COncludamus denique πῖνον τῆς ἀρχαιότητος, & χνοῦν esse id quod & multùm, & mediocriter Gręcè periti omnes sentiunt; solus omnium rerum imperitus negat Salmasius, situm vetustatis, & squallorem: quod cùm ad orationem accommodatur, hanc ipsam significat vetustátem & archaismum redolere; cuiusmodi stylus eorum est & sermo, qui in antiquitatis lectione triti, ac subacti, eam ipsam aut in simplicibus vocabulis, aut structura ipsa & cõtextu orationis siue penitus, siue aliquatenus vsurpant.

Quod si de Latinis authoribus sermo sit, πῖνος τῆς ἀρχαιότητος & χνοῦς in Ennio, Pacuuio, Catone, Plauto, Lucretio, & id genus Scriptoribus apparet; quem & Virgilius interdum imitari voluit; vt cùm *aurai*, *aulai*, *olli*, & eiusmodi quædam, cautè ac prudenter aspergit. Sed austeritatem illam, cuius est χνοῦς & πῖνος, in Bruto graphicè Cicero depinxit; cuius hîc verba subíiciam. Cùm enim Oratores illos reprehendisset, qui Thucydidem sibi velut eloquétiæ absolutum quoddam exemplar ad imitandum proponerent; ita disserit: *Vt si quis Falerno vino delectetur; sed eo nec ita nouo, vt proximis Consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, vt Optimum, aut Alicium Consulem quærat. Atqui*

ea nota sunt optima: credo. Sed nimia vetustas nec habet eam, quam quærimus, suauitatem, nec est iam sanè tolerabilis. Num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? Minimè: sed quandam sequetur ætatem. Sic ego istis censuerim & nouam istam, quasi de musto, ac lacu feruidam orationem fugiendam, nec illam præclaram Thucydidis nimis veterem, tanquam Anitianam notam persequendam. Ipse enim Thucydides, si posterius fuisset, multo maturior fuisset & mitior. Caruit igitur antiquum illud, & austerum genus suauitate ac lepore: caruit numeris; hoc est vel ignorauit penitus, vel negligentius adhibuit; vel in eos fortuitò magis incidit, quàm ex arte, & consilio temperauit; fuitque cùm verborum delectu, tum compositione ipsa squallidum & asperum. Cicero in Oratore de numerosa oratione loquens: *Non erat*, inquit, *hoc apud antiquos. Et quidem nihil aliud ferè non erat. Nam & verba eligebant, & sententias graues, & suaues reperiebant; sed eas aut vinciebant, aut explebant parum.* Ita enim Lambinus restituit: Mox Isocratem laudari dicit, *quod verbis solutis numeros primus adiunxerit.* Quocirca τύπος ἀρχαϊκὸς partim in verbis simplicibus, quæ scilicet vetustate postmodum obsoleuerint, partim in contextu structuraque positus est, quæ quidem à numerorum lege solutior est, & alia omnia præ se fert, quę nos ex Dionysio supra retulimus. Ab eo floridum ac venustum genus, hoc est Isocrateum ac Theopompeum, procul abscedit; nec eo vnquam vtitur. Tertium verò, quod commune, hoc est mistum appellat Dionysius,
nonnun-

nonnunquam illud adſciſcit. Quippe verbis interdum vtitur obſoletis : de quibus Cicero III de Orat. *Inuſitata ſunt priſca ferè, ac vetuſta, & ab vſu quotidiani ſermonis iamdiu intermiſſa, quæ ſunt Poëtarum licentiæ liberiora, quam noſtra: ſed tamen raro habet etiam in oratione Poëticum aliquod verbum dignitatem* : Neque numerorum perpetuò regulis illis includitur : ſed in vehementioribus præſertim motibus, cùm naturam propius imitatur, rapitur plerumque licenteus; quæ omnia de grandi ac ſublimi genere à Cicerone traduntur. Cùm igitur πίνος τῆς ἀρχαιότητος vetuſtatis ille ſitus & ſquallor propriè vocetur; inde factum eſt, vt ad eruditi, miniméque vulgaris ſtyli notam eadem vox aſſumpta ſit. Nam quæ priſca ſunt, & inuſitata, eadem recondita miniméque protrita ſunt: ideo nonniſi à doctis & in veterum Scriptorum lectione verſatis obſeruari, vſurparique ſolent. Ergo eruditionis ac profectus in literis index eſt πίνος ille, ſtiluſque πεπινωμένος : in quo, vt de Platone ſcribit Dionyſius, πίνος, καὶ χνοῦς τῆς ἀρχαιότητος ἠρέμα, καὶ λεληθότως ἐπιπλάζει. Arguit enim lectionis varietatem, & antiquitatis vſum. Nō quod ſordes ipſæ per ſeſe lumina ſint orationis: quod ſine vllo iudicio, ac pueriliter nobis obiicis: Sed nimirum vti quibuſdam in rebus ſitus & ſquallor ipſe delectat; quemadmodum in numis veteribus, ac cæteris id genus antiquitatis monimentis; in quibus curioſa quæque & ſitu ſquallentia pręferimus, quod eiuſmodi ſummæ antiquitatis indicium habeant: ſic in oratione fit neſcio quo modo, vt ea ve-

tuſtatis interdum ſitu illo perſperſa tum iucunditatis aliquanto plus habeat, tum eruditionis, doctrinæque famam, & authoritatem afferat. Hinc Cicero filij ſui literas probat, quod πίνον præ ſe ferrent, eſſentque πεπινωμένα: nimirum quod vſurpata nonnunquam vetuſtatis imagine, arceſſitum aliquid ac diuturna lectione quæſitum oſtenderent. Quicquid igitur eiuſmodi eſt, hoc eſt reconditum, miniméque vulgare, aut vſu quotidiano contritum, ad πίνον illum pertinet, & πεπινωμένον λόγον, cuius origo tralationis ab ſitu illo, & ſquallore, qui vetuſtatis index eſt, deducitur. Indidem & εὐπινὴς, & εὐπίνεια, & ἐμπινής, quæ cùm de oratione dicuntur, bene ſubactum, & in lectione, imitationéque veterum exercitatum ſtylum ſignificant. Ita & χαλκοπινής, *veterator* aptiſſimè, & ab eodem tralationis fonte nominatur. Falſa eſt igitur originatio tua; à palæſtra, & athleticis ſordibus illud eſſe profectum: tum abſurdiſſima ratio, πῖνον eſſe nitorem palæſtricum. Nam πίνος ſordes & ſquallorem propriè ſonat. Plurimum verò in Athletarum corporibus ambo iſta differunt. Nam cùm oleo delibuti eſſent, antequam puluere inſpergerentur, aut in coniſteriis volutarentur; aut poſtremo ex lucta, & agitatione corporis ſudorem cùm oleo & puluere miſcuiſſent, λιπαροὶ erant, & nitebant: ſiue etiam poſtea cùm finito certamine à mediaſtinis & redunctoribus deterſi ſtrigilibus eſſent; quando ſtrigmenta ipſa, quę tu ſola πίνου vocabulò potes intelligere, deraſa & abſterſa fuerant: Tùm nitor ille palæſtricus in

eorum corporibus apparebat; ſed πεπινωμένοι & ſordidi iã eſſe deſierant. Itaque non conuenit πίνον nitorem eſſe, cùm antequam deſtrictus eſſet, nonniteret Athletarum cutis, ſed vel maximè ſorderet.

Salmaſii portentoſa ſtupiditas, κάλλος à πίνῳ quantum abhorreat.

EN aliud portentum extra omnem literarum vſum, ac memoriam gelidos in fines Arcadię deportandum; quod imprudens penè pręterieram. Pag. 185, 186, & 187, πῖνον, quem tu ἄνω, καὶ κάτω vexas, & nitorem appellari iubes, ſcribis ad idẽ τοῦ κάλλους genus oportere referri, de quo Hermog. Lib. I. περὶ ἰδεῶν, Cap. XII. Expendamus quanto iſta cum iudicio pronuncies, & comparemus ea, quæ Dionyſius de eo genere diſſerit, cuius proprius eſt πῖνος, cum iis, quæ Hermogenes ideæ τοῦ κάλλους attribuit. Dionyſius loco à me citato αὐστηρὸν genus, cuius pulchritudinem eſſe docet ἀρχαϊσμὸν, καὶ πῖνον, gaudere ſcribit τραχείαις πολλαχῆ, καὶ ἀντιτύποις ταῖς συμβολαῖς, *aſperis paßim, duriſque colliſionibus*, in orationis contextu, cuiuſmodi impolitorum eſt lapidum in ſtructura commiſſio; quales pag. 25. appellat φωνηέντων πρὸς φωνήεντα ἀντιτυπίας, *colliſiones vocalium inter ſe.* Hermogenes illo in capite, συνθήκην propriam τοῦ κάλλους exigit, ὅτι μάλιστα ἄνευ συγκρούσεως τῶν φωνηέντων, *quæ quàm maximè colliſionem vocalium deuitet.*

Dionysius docet in archaico illo & πεπινωμένῳ genere numeros maximè negligi, & compositionem ipsam: ita vt à natura potius expressa, quàm ab arte videatur oratio. Hermogenes τοῦ κάλλους, id est venustatis ideam structuram, & numeros præcipuè postulare, in iisque diligētiam haud mediocrem affirmat. εἰ γὰρ δή τινος ἄλλου καὶ ὁ περικαλλὴς λόγος τῆς συνθήκης δεῖται· κατὰ γὰρ ταύτην τὸ πλεῖστον αὐτοῦ ἐκφαίνεται· καὶ ἡ ἐπιμέλεια καὶ ὁ κόσμος ἐνταῦθα ἐκπρεπής. *Sed si quam aliam rem, certè structuram ipsam orationis venustum genus requirit. Nam in ista præcipua vis sese prodit illius: tum diligentia, & ornatus ibidem insignis.* Idem venustum genus, vt author est Hermogenes, dictiones breues, & paucis constantes syllabis desiderat, πλεῖον δὲ τὸ τῆς ἐπιμελείας, καὶ τοῦ κάλλους ἔχουσιν αἱ μικραὶ τῶν λέξεων, καὶ δι' ὀλίγων συγκείμεναι συλλαβῶν. Dionysius archaicum, & πεπινωμένον γένος refert μεγάλοις, καὶ διαβεβηκόσιν εἰς πλάτος ὀνόμασιν, ὡς τὰ πολλὰ μηκύνεσθαι φιλεῖν: *magnis & latè porrectis nominibus vtplurimum produci velle;* τὸ γὰρ ἐκ βραχείας συλλαβῆς συνάγεσθαι, πολέμιον αὐτῇ, πλὴν εἴ ποτε βιάζοιτο. *Nam ex breui syllaba conflari, inimicum est illi, nisi aliquando fortè necessitas cogat.* Hermogenes Isocrati præ cęteris ideam τοῦ κάλλους ἐπιμελείας assignat: Dionysius omni πίνῳ, & πεπινωμένῳ genere alienissimum facit Isocratem. Vide, Salmasi, quàm acutè, prudentérque πίνον, & πεπινωμένον Dionysij genus orationis ad ideam τοῦ κάλλους reuocaueris, cuius Capite XII lib. I. meminit Hermogenes. Sed de πίνῳ, & πεπινωμένῳ, hoc est tuis sordibus hactenus: quam in disputationem cùm conatus

omnes explicueris, vt hac in parte libri tui maximè tibi placeres, nuſquam tamen clitellas fœdius, & horribilius impegiſti.

Salmaſii faſtus; eiuſdem minimis in rebus inſcitia.

AVdes tu verò ἀλαζονείαν iſtam, & calumniam defendere, qua tu in *depalandi* verbo Criticorum huius temporis depalatam ἀκρισίαν eſſe dixeras; cùm ante te Iunio idem veniſſet in mentem, quod à te natum eſſe impudentiſſimè gloriaris? Hunccine nos in tam inſulſa caruncula faſtum ac ſuperbiam diutius feremus? *P.*189.

Monſtrum tuum eruditorem non iniuria proſcripſimus. Chiron Centaurorum eruditor, id eſt monſtrorum, longè aptius nominetur. At nonne monſtrum hominis es, qui & à patre tuo, & ab alijs tot annos Grammaticis in nugis eruditus, nondum prima elementa illius artis attigiſti? Quid enim aut ſcire putemus, aut ſciturum aliquando ſperemus eum, qui inter *nomen*, & *participium* nequeat diſcernere. Diſce, Salmaſi, diſce, quod ad hanc diem neſciſti; vocem *eruditus* aliàs participium eſſe paſſiuum præteriti temporis ab *erudior*; interdum nomen adiectiuum. Cùm participium eſt, eum ſignificat, qui à magiſtro informatus, & inſtitutus eſt; ſiue progreſſum aliquem fecerit, ac ruditatem poſuerit; ſiue P.191. P.192.

ob ingenij tarditatem nihil aſſequi potuerit, in eoque magiſter operam fruſtra collocarit. At *eruditus* quà nomen eſt, doctum & literis præditum ſignificat. Sic & vox ipſa *doctus* aut participium eſt, & eum denotat, qui ſub alicuius diſciplina fuit; aut nomen; & illi conuenit, qui ſiue alterius magiſterio, ſiue ſuopte ſtudio doctrinas ſibi comparauit. Quare incredibiliter ſtupidum te ac plumbeum oportet eſſe; qui cùm tanto, vti dixi, tempore, doctus à magiſtris, & eruditus fueris, adeò nihil profeceris, vt mirêre quemquam erudiri poſſe, qui non fiat eruditus; idque pro abſurditate magna nobis obiicias, quod tuum te patrem erudiiſſe tandiu dixerimus, neque tamen eruditum eſſe factum. Nam alterum, quod te pater erudierit, nos abs teipſo didicimus: alterum vel indocti, & ineruditi homines tot ex inſcitiæ tuæ argumentis poſſunt cognoſcere.

Salmaſii κόρυζα; frigidæ argutiunculæ, hallucinationes prodigioſiſſimæ: togati Quirites minimi. De accendonibus ridiculum Salmaſii commentum.

P. 256 CVm ſis κορύζης & ſtultitiæ plenus, tamen quid κόρυζα ſit ignoras. Vſque adeò ξενίζεσθαι viſus es ad illam vocem, & dubitare quid tandem rei ſignificaret. κόρυζα μωρίαν quæ in te eſt exprimit. Ita λῆρον, καὶ συγχαρικὴν κόρυζαν dixit

Lucianus. Hic merus est character ingenij, stylique tui. Quare te vide, & quid sit rogare desine.

Non piget receptæ lectionis apud Tertullianum. Itaque *cerdones* præ tuo illo *accendones*, ascisco, ac retineo. Noli dubitare, quin ex ima plebe, & vilibus opificibus plerique sponte authorati gladiatores facti sint; qui cum toga producti. Stultè vrges, & παρὰ χαιρὸν φλυαρεῖς de togata, & pænulata plebe. Nisi corruptus sit Tertulliani locus, ab ea, quam dixi, sententia non dimoueor. Risimus tuum illud; *tunicatum* idem esse, ac *pænulatum*. Vah Critice! vbi tua mens? An metempsychosis animarum fit, & à pepone, vel cucurbita, vel quopiam Stymphali, aut Nonacridis alumno tuum se aliqua in corpus induit? P.260. P.261.

Frigida est, & argutatio ista: *Si pænulam vestiit Romana plebs, togam vtique non vestiit.* Ridiculum. Nam vtramque diuersis temporibus vsurparunt: & fatendum est, imperitissimè præterea te scripsisse: *vbi pænulam vestire cœpit, togam non amplius vestiisse Romanam plebem.* Nihil falsum magis. cuiusmodi & pag. 260 dixisti; togam penes solos honestiores iam inde ab Augusti temporibus mansisse, *qui eandem vix, nisi cùm officia celebrabant, vsurpare soliti erant.* Credo honestiores omnes illi erant, & Equites, quos Iuuenalis Satira prima deridet, qui sportulas ad beatorum fores capiebant: P.261. P.262.

--- Nunc sportula primo
Limine parua sedet, turba capienda togatæ.

Horum enim plerique pauperrimi, quorum census omnis centum illis in quadrantibus situs erat.

Quid facient comites (ait) *quibus hinc toga, calceus hinc est,*
Et panis, furnúsque domi?

An & honestiores illi, & Equites erant, de quibus Satira III, Vmbricius videlicet, ac cæteri tenuiores, de quibus ista:

Quid, quòd materiem præbet, caussasque iocorum
Omnibus hic idem? si fœda, & scissa lacerna;
Si toga sordidula est, & rupta calceus alter
Pelle patet; vel si consuto vulnere crassum,
Atque recens linum ostendit non vna cicatrix.

Tum eorumdem penè infimæ sordes pluribus in sequentibus describuntur; togatulorum, inquam, & assectatorum, quos & domum redeuntes inuadi nocturnis à præimatoribus & grassatoribus queritur.

Nam quid agas: cum te furiosus cogat, & idem
Fortior? vnde venis? exclamat. cuius aceto,
Cuius conche tumes: quis tecum sectile porrum
Sutor, & elixi veruecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem;
Ede vbi consistas; in qua te quæro proseucha.

Vide cætera. Nunc illud de te, Salmasi, quæro; cùm illi ipsi, quorum sortem iis in Satyris atque etiam quinta, Iuuenalis queritur, togati, & diuitum comites, & anteambulones fuerint, eosdemne censeas ex honestioribus, atque Equitibus fuisse; penes quos solos ab Augusti temporibus, vsum togæ resedisse scribis? Atqui ex tenuissimis Quiritibus fuisse, author ipse

ipse non iis solùm versibus, quos attuli; sed & in sequentibus iisce demonstrat.

--- Agmine facto

Debuerant olim tenues migrasse Quirites,

& id genus aliis. Quocirca fugit te præter omnem modum ratio; cùm *plebem Romanam iam inde ab Augusti temporibus* dixisti *togatam non fuisse, sed pænulis, & lacernis indutam vulgò incessisse: togam vix penes senatores ipsos remansisse: certè honestiores quosque, & equites vix eam, nisi cùm officia celebrabant, vsurpare solitos.* Possem & Martialis aliorumque infinitis vti testimoniis eodem spectantibus, si pompam tuam, ambitionemque Grammaticam imitari vellem. Fatere itaque te, quod Κερκοëτio obiicis, *merum asinum esse, qui hæc ignoraris.* Mirum verò ni etiam Iuuenalem corrigis, quod compotorem pauperis illius togatuli sutorem potius, quàm aliũ quemcũque nominauerit. Nam quę ratio potest esse, vt sutor, vel cerdo potius, quàm alius opifex sellularius, cum honestissimo illo Senatore, vel Equite cœnauerit, cuius alter calceus crebram cicatricem ostentet, quique noctu solus lacer, & famelicus à grassatore vapulet? Quod si Iuuenalis ipse responderet; sutoris nomine quemlibet vilem è plebe synecdochicωs intelligi; tu sic occureres: *Bene sane. hoc est quod nesciebat Salmasius, & quod etiam ignorabam, pistores, fabros, ferrarios, lignarios, sartores, citharopœos, linteones, textores, cerdonum & sutorum nomine venire.* Euge acutissime Salmasi. Verùm cur cerdonibus, fabris, sartoribus, textoribus, ac cæteris eiusmodi de

P.262.

plebe tam iniquus es, aut cur adeò illos despicis? Dic mihi: num Episcopi, Diaconi, ac reliqui Ecclesiæ ministri tantopere contemnendi videntur, nullo vt apud te loco esse debeant? Atqui illi ipsi sellularij opifices, cerdones, inquam, & sartores, ac textores, & olitores, qui veruecum labris, porris, alliis, cæpisque vescuntur, Synagogæ Caluinisticæ, hoc est Ecclesiæ tuæ, Episcopi sunt & Diaconi: iidem choris vestis canentibus præeunt, Biblia prælegunt, ac sæpius interpretantur. Ex eorum denique corpore Ministri vestri fiunt, aut Ministri etiam ipsi sunt; olim certè fuerunt.

Denique *accendones* Latinè pro *lanistis* vsurpari, neque probas hactenus, neque verum est. Multa hic accumulas de voce χλανίζειν, & χλανισμός. Ostende idem esse atque erudire. Tu in Notis ad Tertull. pag. 448, ita scripseras: χλανίζειν est *ornare*, *parare*, ERVDIRE. Cur
p.266. modò tergiuersaris, ac dissimulas? χλανίζειν, ais, est *tegere*, *ornare*, *comere*, *in aliqua re polienda*, *& ornāda morari*. Vbi est illud ERVDIRE, quod χλανίζειν significare scripseras? Cur non igitur inscitiam, temeritatem, imposturam fateris, quam res ipsa testatur? Sic & λαμπυρίδα voluisti lampetram esse, quia λάμπειν est splendere: & modò scarabeum, modò vulpem de pisce fecisti.

Excutiuntur ea quæ in Animaduersis Petauij ad Epiphanium reprehensa sunt à Salmasio: Epiphanius illustratur. Pharisæorum pallia cuiusmodi fuerunt. Salmasii falsa, & stupida sententia.

POstquam summa hallucinationum tuarum ac deliriorum capita discussimus, quæ in Confutationis tuæ libro cursim obeuntibus, nobis ac properantibus oblata sunt; nunc pauca pro Petauio, cuius in Epiphanio nonnulla vexasti, eâdem operâ pertexam. Video enim nimium te ab illo, tuaque contemni. Itaque nihil ad hanc diem insaniæ tuæ, ac procacitati reposuit. Quod ego non tam illius, quàm mea, & verò etiam tua, Salmasi, caussa doleo, nec ferendum arbitror. Quamuis enim hoc sis contemptu dignissimus, nostra tamen interesse puto, nonnullam haberi tui rationem, neque tantùm, quantùm es reuera, futilem, ac nihili homuncionem videri, ne noster hic aduersum te scribendi, ac respondendi labor inutilis videatur, maléque collocatus; perinde ac si in asini, quod vulgò ferunt, capite lauando & operam, & lixiuium perdiderim. Quamobrem vt cùm aliquanti pretij homine depugnasse videar, fingam te aliquem interim

esse, ac tuis ineptiis Petauij vice breuiter occurram.

Primus est ille locus, in quo dudum gestis, ac triumphas; quod Hæresi xv, quæ est Pharisæorum, Epiphanij verba ista malè, vt putas, interpretatus est: *ἀλλ' ἐπειδὴ στολὰς, εἴτουν ἀμπεχόνας οἱ τοιοῦτοι ἀνεβάλλοντο, καὶ Δαλματικὰς, εἴτουν κολοβίωνας ἐκ πλατυσήμων διὰ πορφύρας ἀλουργοῦς φαεῖς κατεσκευασμένας. Quippe cum stolis, siue vestimenti genere quodam vterentur isti, quod Dalmaticas, aut colobia appellare possumus, quæ amplioribus ex purpura segmentis erant intexta.* Hanc tu eius loci versionem in Notis ad Pallium pag. 446 suggillas, & alibi sæpius exprobras, quòd ille nescierit *στολὰς*, & *ἀμπεχόνας* esse pallia; *δαλματικὰς* verò, & *κολοβίωνας*, tunicas. At ego te docebo, frustra, & temerè quod non intelligis arguere; neque Epiphanij mentem, aut rem Iudæorum vestiariam hactenus cognoscere. Tu enim ille es, qui Iudæorum pallium censes idem cum Græco, imo Philosophico, fuisse. Qua imbutus opinione credis *στολὰς* & *ἀμπεχόνας* ab Epiphanio vocari pallia Græcorum similia, quæ super tunicas iniiciebãtur. In quo multipliciter falleris. Scito igitur *στολῆς*, & *ἀμπεχόνης* vocabulum latè vsurpari, pro quacumque veste: quemadmodum & aliàs Græcè sic accipiuntur, vt ex Lexicis, & Vocabulariis tuis agnosces. Itaque non amiculum duntaxat, eamque vestem, quæ superiniicitur; sed & tunicam, interioremque significat. Multo verò magis ad vestimenti genus illud accommodatur; quod cùm tunicæ formam habeat; tamen in-

terioti alteri tunicæ ſuperiicitur, ideoque pallium etiam nominatur. Quod ex Sacerdotis Magni apud Iudæos veſtibus poteſt intelligi. Triplicem enim, quantum ad præſens negotium attinet, indutum Pontifex habuit, vt ex cap. XXVIII Exodi conſtat. Prima fuit tunica talaris, ποδήρης byſſina, qui propriè χιτών, Hebræis כתונת dicitur. *Hæc adhæret corpori*, (inquit Hieron. Epiſt. CXXVIII ad Fabiolam) *& tam arcta eſt, & strictis manicis, vt nulla omninò in veſte ſit ruga; & vſque ad crura deſcendat?* Tales erant militum camiſiæ aptæ membris, & adſtrictæ corporibus, vti curſum & clypei vel enſis molitionem minimè præpedirent. Altera veſtis propria Pontificum fuit מעיל, quæ eadem & tunica, & pallium vocatur. fuit enim tunicæ ſimilis, & ipſa talaris, hyacinthina: quæ manicis carebat ipſa quidem; verùm ad eam aſſuebantur; ſi Hieronymo credimus. Itaque κολόβιον hac ratione dici poterat. In extrema illius parte, id eſt ad pedes tintinnabula, & mala punica erant LXXII. Tertia veſtis Ephod, id eſt ἐπωμίς, ſuperhumerale. Ex iis veſtibus, ſecunda, & pallium & tunica; id eſt exterior, & interior veſtis fuit. מעיל enim Vatablus & alij Hebraicè periti vertunt *pallium*: ſed & ante iſtos Hieronymus modò *tunicam*, modò *pallium* vertit, LXX Interpretes ποδήρη. Vulgata, *tunicam*. Nondum ſcilicet natus erat Grammaticus Salmaſius; qui idem genus indumenti pallium, & tunicam ſimul appellari interdicto ſuo vetaret. Iam Scribarum & Phariſæorum veſtis illa, quam στολὴν & ἀμπεχόνην Epiphanius

vocat, eiuſmodi quædam, hoc eſt aliqua ex parte ſimilis, veſtis fuit. Nam tunica hæc erat ſimul & pallium. Tunicæ quippe formam habebat; & quidem fortaſſe ſine manicis. Ob id κολόβιον vocatur. Sed ad eam nihilominus aſſuebantur alienæ, non propriæ veſtis manicæ: quomodo & Pontificalis illa tunica χιτὼν fuit, ὅθεν αἱ χεῖρες διείρνυνται, ait Ioſephus, *ea parte ſciſſa fuit, qua manus inſerebantur*: quod interpretans Hieronymus *aſſutas* dicit *fuiſſe manicas*: hoc eſt mutilã quidem per ſe fuiſſe, & manicis caruiſſe propriis; ſed aſſutas habuiſſe. Vides quemadmodum κολόβιον eadem, & Dalmatica dici potuerit. Ad oram appenſa fuere mala punica; itidem vt ſummi Pontifices in *meil* gerebant. Proinde στολὴ & ἀμπεχόνη & κολόβιον & Dalmatica vna eademque in illo Epiphanij loco veſtis eſt. Ioſephus Lib. III cap. VIII στολαὶ generatim vocat Pontificias veſtes omnes, etiam tunicam. Quod enim Epiphanius pro diſtinctis non habuerit, ex eo validiſſimè probatur: Deſcribit enim ſingularem quendam, miniméque communem cum reliquis Scribarũ, Phariſæorumque cultum. Hunc autem fuiſſe dicit στολὰς, ἤτουν ἀμπεχόνας, καὶ Δαλματικάς, ἤτουν κολοβίωνας. Tum in ſequente Hæreſi, quæ eſt Phariſæorũ, τῷ δὲ περιειρημένῳ σχήματι τῶν Γραμματέων περιείχοντο, διά τοι τῆς ἀμπεχόνης, καὶ διὰ τῶν ἄλλων σχημάτων. *Cultus idem illis, qui & Scribis, de quo proximè dictum eſt: veſtis ſcilicet, ac reliquus corporis habitus.* Ibi ἀμπεχόνην tanquam ſingulare quiddam, & illorum proprium notat. Non fuit ergo commune cum Iudæis reliquis

pallij genus, vt nugaris. Ad hæc Græcanicum pallium duos tantùm ad imam partem angulos, siue πτέρυγας habuit: At illi, de quo sermo est Epiphanio, quatuor erant. ῥοΐσκους γὰρ τινὰς ἐπὶ τὰ τέσσαρα πτερύγια τοῦ τρίβωνος ἕκαστος εἶχε. *Punica mala ex quatuor angulis pallij pendentia quilibet istorum habuit.* An tu credis è quatuor iisce angulis duos superiores, & ad humeros fuisse? Ita quidem sensisse videris: sed imperitissimè. Nam ad κράσπεδα erant, oramque vestis infimam. Proinde ad latera scissam & apertam fuisse tunicã illam, seu pallium oportet, non ab anteriori parte; adeoque Græcanici pallij prorsus dissimilem: in eoque à Sacerdotali insuper pallio discrepasse videtur. Postremo si pænulæ, quæ vtique vestis exterior fuit, tunicarum etiam nomine veniunt, in Notis ad Aug. Hist. pag. 174, & in Confutatione scribis; quidni pallium Scribarum illud etiam tunicæ vel Dalmaticæ nomine censeatur? I nunc, & inscitiam atque ineptiam aliis obiice, qui totus ex inscitia, ineptiaque concretus es; qui Iudæorum commune pallium, adeoque Christi & Apostolorum, Cynicum pallium esse docuisti; quasi pallia omnia eiusdem formæ fuisse necesse sit. Mirarer te obtrectandi contradicendique libidine cæcum ita ferri, prius vt Epiphanij verba apud te non expenderes, quam in alterius errore castigando tuam inscitiam, ac vecordiam traduceres; si quid aliàs, abs te, cuiusmodi heic expectari posset, moderato ac frugi dignum esset homine profectum.

Chrestus pro Christo. στοιχεῖα quid sint apud Epiphanium: inque his Salmasii mira stupiditas.

P. 73. NOn fero μικρολογίαν, & κακοήθειαν istam. Ten' sperasse persuaderi posse, Chrestus vnde à nonnullis vocetur, nesciisse Petauium, aut te monitore opus habuisse? Infantilis ista leuitas est, & crepundia sapit. Nempè χρειστὸν pronuntiasse quosdam Epiphanij locus euincit. Si ita est, quidni & Latinè, si ad eam formam conciperent, *Chrestum* vsurpare poterant. At ratio illa, quam adfers, falsissima, & summè imperita; τὸ χ literam esse duplicem, ideo literarum augere numerum. Qui tam seuerè in alios inquiris, & censuram affectas, itáne turpiter ipse peccas? Infime Grammaticorum, & ad elementarios redigende, quid cogitas? An non & θ' perinde duplex esse debet, vt χ? Atqui pro vna & simplici censetur eodem Numero. Nam Ἀλήθεια septem constare literis dicitur; Ἄνθρωπος octo. Asinina est itaque coniectura tua. Omnino χρειστὸς scripserunt, qui octo literarum nomen esse voluerunt.

P. 75. Insignem, quem vocas, Epiphanij locum insigniorem stupiditate tua fecisti. Scribit Epiphanius de Pharisæorum Astronomica superstitione loquens, Hæresi XVI, Num. II. Ἀλλὰ καὶ τὰ ματαίως νομιζόμενα εἰς ἀριθμὸν στοιχείων

παρὰ

παρὰ τοῖς πεπλανημένοις ὀνόματα, ἃ ζώδια καλοῦσι, &c. Ad verbum. *Sed & ea, quæ vanè in numerum elementorum censentur apud deceptos nomina, quæ Zodia vulgo nuncupant.* Hunc Epiphanij locum rectissimè dico & à Petauio Latinè redditum, & interpretatum fuisse; te verò immane quantum hallucinari, & falsissimam sententiam affingere. Didicisti ab Scaligero, quem, nisi scuticam nostram veritus esses, nunquam nominares, στοιχεῖα vocari statuas, annulos, aut alia id genus cum obseruatione siderum facta, vel notata, horoscopante signo aliquo Zodiaci. Esto: an ζώδια ipsa, signaque cœlestia στοιχεῖα nominantur? Vbi id Scaliger te docuit? Num ex Arabismo istud expiscatus es; in quo magnam scilicet peritiam habes? Signa Zodiaci, quæ suis nominibus apud Epiphanium appellãtur, εἰς ἀριθμὸν στοιχείων νομίζονται: Quid hoc rei est? An à superstitiosis illis, & præstigiatoribus signa illa de cœlo deripiebantur, vt inter alia στοιχεῖα, & imagines ad remedia venderentur? Arietem ipsum cœleste signum, aut Scorpionem, aut Taurum è cœlo detrahebat aliquis, & ad auerruncanda mala gestabat ipse, vel aliis præbebat. Hæc insignis, & illustris est obseruatio Salmasii: duodecim Zodiaci signa cœlo refixa, & in terras delapsa pro statuis, annulis, & imaginibus cessisse. Quid enim aliud nos doces? Ad Scaligeri postuma nos remittis. Age consulantur. Στοιχεῖα nihil aliud pag. 529 scribit esse, nisi *imagines ad constellationes factas, horoscopante aliquo signo.* Idem repetit pag. 568, & 575. Tu στοιχεῖα apud Epi-

phanium interpretari iubes ad eum ſenſum, quo Scaliger in Poſtumis vocabulum illud accepit. Proinde Zodiaci ſigna duodecim cœlo reuulſa, & pro ſtatuis & annulis geſtata credemus, ſi Salmaſium audimus. An non fuſtuarium potius, quàm lora adeo prodigioſa ſtupiditas, & aliorum inepta reprehenſio commeruit? Vbi tu legiſti ſigna Zodiaci ϛοιχεῖα notione illa vocata fuiſſe, qua id genus τελέσματα, vel ſigilla nominabant; vt εἰς ἀριθμὸν ϛοιχείων proceſſerint? Nam illa ipſa ζώδια εἰς ἀριθμὸν ϛοιχείων νομίζεσθαι, refert Epiphanius. Sanè piacularis hæc abſurditas eſt. Tam horrendus ſtupor, & fanatica inſania modum omnem erroris humani, & caſtigationis ſuperat. Probabilis eſt igitur Petauij illa coniectura, quam pluribus in Animaduerſionibus explicat, atque & Gemini, & Aſtronomorum cæterorum authoritate confirmat: quibus placet, Zodiaci ſigna quadrifariam pro elementorum numero diſtribui. Quod ſi quis malit, poteſt & alio ſenſu Epiphanium accipere, vt ϛοιχεῖα ζώδια ipſa dicantur, ea notione, qua cœleſtes imagines, & ἀστερισμοὶ ita nuncupantur; ac tum ζώδια illa dicet in ϛοιχείων ἀριθμὸν procedere, quoniam prę-ter duodecim illas conſtellationes, extra Signiferi limites aliæ ſunt. Hæc non incommoda ſententia eſt. Tua verò plane ſtupida, & inficeta.

Reliqua Petauij ab iniqua Salmasii censura vindicata.

SI tu καρχαρίαν ostenderes Græcè murænam P. 76.
significare, haberes quod in illa interpretatione meritò carperes. Nunc καρχαρίας *marinum canem* ἰδίως denotat. Si vt in quibusdam aliis Epiphanius heic hallucinatus est, num Interpretem mutare istud oportuit? Hæresi V Stoicorum, N. I, Zenonem ait Eleaten Romæ vixisse. Hæresi VII Pythagoreos cum Peripateticis confundit. In Iudæorum Hæresi pag. 22 Nabuchodonosorum pro Salmanassaro posuit. Hæc & id genus alia vtrum ab Interprete solicitanda, an in mendo potius relinquenda sunt? Quid tu sentias, nihil nostra refert. Hoc scio, neminem harum rerum intelligentem aliter iudicaturum, quàm Scriptoris errorem ipsum in interpretatione retinendum, non emendandum videri. Aliud est, cùm Librarij, non authoris manifestum vitium irrepsit. Illud ergo in isto Epiphanii loco contigit; vbi quod murænæ proprium est, καρχαρίᾳ, hoc est cani marino per imprudentiam tribuitur: Quod mutare religioni sibi meritò duxit Interpres.

Hæresi L, Num. III. Epiphanius ita lo- P. 77.
quitur: ἀπεσβήσομαι δὲ καὶ τοῦτο τὸ ἐμφύσημα τοῦ βέωνος ἤτουν φυσαλοῦ ὄφεως. φύσαλος *bufonem* significat, vt ex Luciano Stephanus adnotauit. Vox

autem βίων penitus ignota, nec à Glossographo vllo memorata. Itaque inducta voce ὄφεως, ex φυσάλῳ bufonem non malè coniecit Petauius: neque ὄφιν putauit esse bufonem, vt calumniaris. Nam ὄφεως nomen interpretatione sua præteriit.

P. 78. Hæresi xxx, N. VII, Ἀέρα τῶν βαλανείων partem quandam esse balnei ex Galeno pridem obseruatum ab eruditis. Quænam verò pars illa fuerit, haud explicatum. Quare velut tubicinis loco, Petauius solij vocem vsurpatam à se testatus est. Tu aërem fuisse vis in balnearibus cellis, quidquid extra solia ipsa loci vacabat, vbi homines consisterent. Neque tamen hoc probas. Nam Tralliani, & Scholiastæ Aristòph. loca, quæ in Notis ad Historicos citas, aërem propria, & vulgari notione, pro elemento ipso aëris, exprimunt. Apud Epiphanium magis proprium quiddam significare videtur: quod quid esset, temerè pronunciare Petauius noluit, & solij vocabulum ad fulciendam interpretationem tantisper inculcauit.

Ibidē. Quod ex Plinio mel acetum vocaretur, non probauit Petauius; sed vt corruptam apud illum vocem emēdaret, locum attulit. Pridem enim pro *acetum* leg. *acerum*, id est ἄκηρον monuit, non infelici coniectura. Mel enim illud significat, quod sine cera sponte fluit, estque præstantissimum. Quod si aceti nomen apud Plinium integrum esset, quod tandem Petauij flagitium foret, si, vt ostenderet non immeritò acetum ab Athieniensibus mel vo-

catum fuisse, cum ex Plinio locum conferret, vbi è cõtrario mel acetum vocatur. Hæc enim docere poterant promiscuè voces illas acceptas. Quod tamen non putamus. Nam *acetum* apud Plinium malumus.

Quæ sequuntur abs te in Petauio reprehẽsa duo, ea Critici, vel ἀκρίτου potius, & virulenti ac sordidi ingenij tui scabiem & purulentiam ostendunt. An qui se ignorare quippiam fatetur, statim ille stolidus, atque imperitus habendus est? Quando ille stolidior, imperitior, stupidior, qui cùm scire se dicat omnia, ne ea quidem, quæ communissima sunt, intelligit? Quis ex quo tempore versari in hominum manibus cœptæ sunt artes, facillimis in rebus tantum, quantum tu vnus, hallucinationis atque inscitię cumulauit? Quis denarium Romanũ præter te quatuor vnciarum esse dixit? Quis in cæteris peræquè horrenda & enormia cõmisit? Cuius tot extant Grammaticis in studiis, quæ tu sola tibi vendicas, intolerabiles lapsus, erroresque stupendi, ac planè prodigiosi? Nam de κελεφίᾳ quod obiicis, satis rubiginem tuam, & Caluinisticæ frontis ac caninæ procacitatem arguit. Scripsit Petauius, diù se ignorasse, quid esse κελεφίας: Medicos se primarios, quorum intererat scire, in consilium adhibuisse: non dubitasse plerosque, deprauatum esse vocabulũ. Tandem verò se, id quod res est, à Græcis accepisse κελεφίαν esse leprę genus. Hanc tu illi reconditę, & γλωσσηματώδους vocis ignorationem exprobras? In altero mira hęc ἀπαιθεωπία,

P. 79.

& notabilis esset: in te, cuius indolem barbaria ipsa finxit, tolerabilis ac dissimulanda venit.

Epilogus ad Salmasium.

HÆc pro Petauio contra importunitatem tuam, satis in præsens: donec suam ille caussam vehementius agere instituat, & audacissimi Grammatici conatus elidere: si id tamen facere aliquando sustineat; quod ego non diffido; si quidem promissa tua appareant, quæ tu initio Capitis illius ostendis, in quod Petauianarum Animaduersionem errata coniecisti. Scribis enim te pauca tantùm illius in Græcis vertendis peccata notasse: reliqua, quæ in Chronologia præsertim infinita deliquit, Salmasium obseruare velle, eamque sibi prouinciam deposcere. *Nam & Salmasium*, inquis, *audio rem illam sua cura esse velle, & hanc Spartam exornandam suscepisse.* Quid in animo habeat Salmasius, nemo profectò melius nouit, quàm Salmasius ipse. Apparet igitur nonnihil iam super Chronologicis quæstionibus à Petauio disputatis meditari Salmasium. Quod ego iustissimis de caussis ab eo suscipi video. Primùm enim cùm Petauij inscitiam & stuporem quantum posset traducere, & insignem facere cuperet, satis intellexit eiusmodi, quæ ex illius Animaduersionibus in specimen attulerat, doctis, ac prudentibus visum iri, vt quam-

uis hæc agnoſceret, confiteretur que Petauius, nihilo tamen indoctior haberetur. Nam quid præter exiles voculas, & minutias, ac ludicra παρεργάματα protuliſti? Omiſſa vox eſt κελεῦντις. Quid eſſet κελεφία, quid συμψέλλιον ignorare ſe dixit: ὄρμαςὸν eſſe ſponſum initiò neſciciuit, poſtea tamen didicit: πλατυκῶς ſcripſit, pro πλατικῶς. Ad hæc, & id genus alia Theologũ præſertim offendere, quàm leue crimen: obiicere verò alteri, quàm futile, ac puerile eſſet, non ignorabat Salmaſius: neque ad ea portenta videbat, & aſinina deliria facere, quæ manifeſtiſſimis, & facillimis in rebus ipſe perpetraſſet. Itaque cùm vel ipſum nugarũ iſtiuſmodi puderet; tametſi ad eas ipſas eruditionis doctrinæque totius, quæ in illo eſt, ſumma sũmarum redit; verumtamen cùm hæc hominũ expectatione minora fore cerneret, ad grandiora ſeſe conuertit. Ad hæc quoniam à Petauio tam malè acceptum Scaligerum meminerat, eiuſque authoritatem omnem ac doctrinam adeo peſſundatam, vt ne inter infimos quidem Chronologos locus ei ſit relictus, ne, quod illi à me fuerat obiectum, Scaligerum & ipſe parui facere, atque in tanto famæ ipſius periculo conniuere putaretur; neceſſariò demum eô deſcendit, vti ſe patronum Scaligeri profiteretur. Bene eſt. Laudo hunc animum, Salmaſi. Laudabo amplius, ſi, quod ſponte recepiſti, & ad quod fidem obſtrinxiſti tuam, perfeceris, vti quæ in Scaligeri doctrina reprehenſa ſunt à Petauio, purges, ac defendas, ab eiuſque criminatione tanti viri maieſta-

tem vindices. Nihil mihi iucundius à te fieri potest; nihil Scaligeri studiosis cæteris optatius, quàm vt ingenium tuum ab iis Grammaticę sordibus ad honestiora illa, & liberaliora studia conferas, &, quod caput est, antistitem tuum, ac Deum Iosephum Scaligerum propugnes. Pro hac egregia voluntatis tuæ significatione, volo reconciliari tibi, atque istius consilij author, & hortator esse. Quare certa tibi adnotabo doctrinæ Scaligerianæ capita, quæ præ cæteris opem tuam ac patrocinium flagitant. Attici anni, ac Periodi structuram à se repertam scis quanti Scaliger ille tuus fecerit, ac quantum hoc in vno sibi inuento placuerit. Legisti quæ omnibus in Libris de Emend. Temporum, & in Isag. Canonibus, in Notis ad Manilium, & vbique ferè eius in commendationem dixerit. In Prolegomenis certè ad Isagogicos Canones huius anni Græci, & Attici inuestigationem dicit esse tanti, vt sola hæc totum opus de Emendatione temporum commendare possit. Ac qui Scaligeri libros euoluerit, non dubitabit, quin hoc sit munimentum doctrinæ totius, quo conuulso ac labefactato præceps illa corruat. Atqui illam ipsam Atticam Periodum Dionysius ille Petauius absurdam, ineptam, & commentitiam ausus est dicere; imo verò certis argumentis probauit in Notis ad Themistium Pag. 641. Idem & de anno ipso Græco, adeoque Chronologicis omnibus Scaligeri dogmatibus ostensurum propediem recipit. Sed hæc scilicet, dum prodierint, expectanda sunt. Interim

terim quę in antecessum Epiphanianę illæ Animaduersiones exhibent, vide vt strenuè ac nauiter oppugnes. Mensium Atticorum ordinem à Scaligero constitutum refellit ille Animad. ad Epiph. pag. 136, 137. Anni Iudaïci rationem ab eodem Scaligero stabilitam euertit Pag. 156. Tum in Commentariis ad Librum de Mensuris & ponderibus omnium fere Imperatorum epochas perperam ab illo disputatas asserit. Denique nulla propemodum pagina est, quæ non Scaligeri stuporem in re Chronologica & oscitantiam redarguat. Si hæc impunè per te Petauius auferat; si non falso ab eo reprehensum esse Scaligerum docueris; si nullis aliis contra Petauium armis, quàm quę pueris ac mulierculis perinde ac tibi prõpta sunt, conuiciis videlicet, ac lamentis Scaligerum defenderis; vide ne aut is turpiter abs te proditus, aut eius, qua de agitur, doctrinæ inscitia, destitutus videatur. Non te puto sic oblitum existimationis tuæ, ac publici iudicij securum, vt aduersus Petauij errata Chronologica, & iniquas Scaligeri castigationes ostenderes te esse scripturum, nisi ea saltem peritia esses illius artis, vt Scaligeri libros intelligeres. Quare nisi tu hoc ipsum, quod promittis, contra Petauium probaueris, nemo erit qui nõ te vel præuaricationem in hac caussa, vel insigniter fatuũ, & impudentem iudicet. Vide enim obsecro quàm sit ridiculum, Iosephum Scaligerum à te, tuísque sodalibus, & amicis omnium qui hac ætate literas tractarunt, facilè principem haberi; imò Herculem literarum, ac Musage-

tam, Phœnicem doctorum, & ingeniorum appellari verticem; ac tantum non adorari, & inter Heroas referri: & eosdem interim Scaligeriani nominis doctrinæque fautores eius ignaros esse scientiæ, in qua non solùm reliquis, sed seipso quoque visus est ille prestantior. Nam præter pauca quadam commentaria, quæ Grammaticis de rebus ab eo tyrone sunt edita; reliquæ omnes lucubrationes ad illam temporum disciplinam Chronologiámque pertinẽt. Hæc illi sempiternam apud suos famam, hæc diuinum nomen peperit. Præ hoc vnò reliqua omnia ingenij sui decora neque magni fecit ille, dum viueret, & à nobis sanè mediocria censentur.

Tuum est, itaque, Salmasi, munus, quod te facturum pagina illa Confutationis tuæ 75 promittis, Chronologica illa Petauij delicta patefacere, ac Scaligero tuo patrocinari. Noli dubitare, quin si id consequi potueris, magnam Petauij conatibus securim infligas, & ab suscepto contra Scaligerum opere penitus absterreas. Hoc longè tibi gloriòsius, ei vero, contra quem veneris, acerbius, ac molestius erit, quàm si, vt instituisti, friuolis in rebus, ac ludicris hominem vexes; quæ vt certissimè probares, maiorẽ tu tibi ex iisce nugis leuitatis, ac πειεργίας, quam Petauio ipsi imperitiæ opinionem famámque consciceres. Itaque quo ad ista pertractanda minus occupatus accedas, cætera tibi in præsens errata remittam, & in sequentes Mastigophoros tantisper differam, quæ, vt à me postulaueros, ex Historicis tuis

Notis ſelegeram. Simul illud expectandum arbitror, vt ei, quod de Catharorum cultu in ſpecimen tibi propoſueram, ſatisfacias, ac reſpondeas. Interea quæ hoc in Maſtigophoro pręcipua tua piacula notauimus, colligam hîc, breuiterque ſubducam.

Indiculus præcipuarum hallucinationum Salmaſii, quas tertius hic Maſtigophorus caſtigauit.

I. PAralogiſmus ineptiſſimus; quo Tertullianum probat pallium ſumpſiſſe, quãdo Preſbyteratum adiit. Nam aut togam mutauit, cùm adhuc gentilis eſſet, aut cùm eſſet Chriſtianus Laicus; aut cùm Preſbyter. Non mutauit cùm gentilis eſſet; neque cùm Chriſtianiſmum iniit: ergo cùm in Preſbyterium receptus eſt, Pag. 2, 3, & ſeq.

II. Contradictoria iſta duo paria docet: Solos Preſbyteros pallium inter Chriſtianos geſſiſſe: ſolos Preſbyteros non geſſiſſe. Item: Omnes Preſbyteros palliatos fuiſſe: Non omnes Preſbyteros fuiſſe palliatos. P. 5 & ſeq

III. Pallium Philoſophicum nihil à communi & populari Græcorum pallio diſcriminis habuiſſe. P. 9

IV. Turpiſſima ἀναντιλογία: Docet enim Philoſophorum pallium à communi Græcorum non diſcrepaſſe; & alibi docet à com-

muni discrepare. P. 12

V. Altera contradictio: post Antonini edictum Romanam vestem omnes vsurpasse; & pallium penes solos mansisse Philosophos: & præter Philosophos, alios insuper gestasse pallium. P. 13

VI. Christum, nec non Apostolos Philosophicum pallium induisse. Pag. 14

VII. Imo Christum, & Apostolos habitu ipso penè Cynicos fuisse. P. 18, & seq.

VIII. Eustathium in Gangrensi Synodo damnatum, quod Episcopos, & Presbyteros ad ἄσκησιν suam veterem, & pallium reuocaret; quasi solos Clericos ad sectam suam pertraheret. P. 24

IX. Altera, & planè diuersa Canonis Gangensis, nec non Eustathianæ disciplinæ declaratio, dum censet ob id Eustathium à Patribus condemnatum, quod Monachis duntaxat suis certum habitum præscriberet. Docet ergo Gangrenses Patres, cùm in cultu ipso sanctimoniam inesse non crederent, vetuisse ne Monachi necesse haberent mutare vestem. P. 26, 27, &c.

X. Chlamys Macedonica ab anteriori corpore togæ in modum circunclusa, non aperta fuit. Pag. 49

XI. Fœda & manifesta contradictio; Chlamydem omnem, quæ quidem μανδυοειδὴς, id est pallij forma esset, quadrangulam fuisse; & non fuisse P. 54, 55, &c.

XII. Tertulliani asinina & plena stuporis interpretatio: quem scripsisse fingit, in collo

pauonis inesse purpureum colorem mera purpura, & dibapha omni pressiorem; imò verò pressiorem conchylio: sic quasi diceret; aliquid Sole splendidius esse; imo stellâ quapiam. P. 65

XIII. In paui collo purpureum, non conchyliatum inesse colorem; & conchyliatum esse, non purpureum; quæ est stupidissima ἐναντιολογία. P. 67, 68, &c.

XIV. Aurum viridis esse coloris. P. 76.

XV. Heliotropion Dioscoridis cærulei coloris esse. P. 82

XVI. Antistes pro Episcopo non vsurpatur, maximè in illo Sidonij loco, quem citat. P. 85

XVII. Deglubere est floccum vnum aut alterum leniter vellere. P. 86

XVIII. Malè senescere, pro *iuuenescere iterum*, vsurpari.

XIX. Τὸν πίνον à Dionysio Halicarnassensi opponi suorum temporum Rhetoricæ, quæ nulla arte, sed solo impetu constabat. Vnde & πεπινωμένῳ λόγῳ, qui ex aduerso respondet, is ad Dionysij sæculum pertinet. P. 101, 102, &c.

XX. Isocratem πίνον & χνοῦν τῆς ἀρχαιότητος expressisse scribendi genere; idque Dionysium asserere. P. 106, 107, &c.

Hæc pauca de multis, & præcipua; quæ quidem breui complecti potuimus. Tu ad ea sic occurrere memento, vt sine fuco, ac tergiuersatione, planè, sinceréque respōdeas. Sed imprimis Scaligeri caussam contra Petauium

meditare; ne is impunè lacessitum ac vexatum à se virum illum glorietur, quem tu sodalesque tui in amoribus ac delitiis habetis.

In Mastigophoro II errata quædam occurebant.

PAg. 21. Ver. *non esse*; scribe Tria, pro tua. P. 27 Ver. 7. leg. μᾶλλόν τι πλῆξιν. P. 49 V. 1 leg. sexcentoplagus.

In Mastigoph. III.

P. 33. V. 17. leg. desputabilia. P. 36 V. sunt: pro Iustitia, leg. Institis. P. 73 V. 27. ἐπ' αὐτοφώρῳ. P. 90, ver. 19. legendum. Eadem & Coa ab alijs, quàm à Plinio, vocatur, quod &c. P. 91. Ver. 4. scr. vestes fiebant, quantum ex ipsius verbis colligitur; &c. *Hæc ideò quod Plinius Coam ab Assyria discernit; & ex hac sola, non autem è Coa, tralucentes fieri vestes prodidit; cùm tamen alij scriptores Cois etiam vestibus nudari fœminas scripserint. Itaque Salmasius eo notatus, quod è Coa tralucentes fieri ex Plinio docuerit.*